




MONUMENTA MATTHAEIANA



Iohannes M.e Cassini incid.



STANISLAO . AVGVSTO
REGI . POLONIAE
ET . MAGNO . DVCI . LITVANIAE
QVI
SINCERAE . MAGNAEQVE . GLORIAE
CVPIDITATE . INCENSVS
ITA . LITERARVM . ET . HONESTARVM . ARTIVM
TVM . SVBLIMIORVM . OMNIVM . SCIENTIARVM
STVDIA . COMPLEXVS . EST
VT . IISDEM
CVM . IMPERII . DIGNITATE
REI . PVBLICAE . VTILITATIBVS
REGNANDIVE . ARTIBVS
ARCTISSIMO . VINCVLO . CONSOCIATIS
SE . REGIO . HONORE . DIGNISSIMVM . PRODIDERIT
INDEQVE
LEGVM . MAIESTATE . VINDICATA
ASSERTA . POPVLORVM . FELICITATE
VTRAQVE . SVPERATA . FORTVNA
POLONAE . GENTIS . CONSENSVM
OMNI . EVROPAE . TOTIQVE . POSTERITATI
ABVNDE . COMPROBAVERIT
IOSEPHVS . ANTONIVS . MONALDINIVS
BIBLIOPOLA . ROMANVS
TRIA . VOLVMINA . VETERVM . MONVMENTORVM
AD . AEDES . ET . HORTOS . MATTHAEIORVM . SPECTANTIVM
DEVOTVS . NOMINI . MAIESTATIQVE . EIVS
LIBENTI . MVNERE . OBFERT

Giuseppe Manochi Inv. *Antonio Gregori Inc.*

APPROBATIONES.

TUM veterum Monumentorum copia, varietate, praestantia, tum luculentis planeque eruditis VV. CC. Venutii, & Amadutii explanationibus quam maxime commendatur opus inscriptum: *Vetera Monumenta &c.* Nihil praeterea Catholicae Fidei, ac severiori morum disciplinae adversum continet. Itaque luce publica dignissimum censeo.

Ex Bibliotheca de Comitibus idibus Decembris MDCCLXXVIII.

Ioseph-Ant. Canonicus Reggi Praefectus,
& in Rom. Collegio S. Script. P. Prof.

IUssu Reverendissimi Patris Ricchinii S. P. A. Magistri perlegi librum vetera monumenta exponentem, in Hortis Caelimontanis, & in Aedibus Matthaeiorum adservata, celebris decessoris mei *Rodulphini Venutii* studiis, ac praesertim multiplici eruditione, nec vulgari, nec a solis lexicis petita, *Iohannis Christophori Amadutii* V. Clarissimi illustrata. Quamobrem quum ab iniuria Religionis, ac Principum longe absit, typis edendum iudico litterariae Reipublicae & commercii commodo, & incremento.

Dabam Romae ex aedibus meis idibus Decembris MDCCLXXVIII.

Ioh. Baptista Vicecomes Roman. Antiq. Praefectus.

DEmandante Reverendissimo P. Thoma Augustino Ricchinio S. Palatii Apostolici Magistro, legi perlibenter librum, cui titulus: *Vetera Monumenta &c.* a doctissimo Ioh. Christophoro Amadutio in Romano Archilycaeo Graecae Linguae Professore elaboratum, nihilque in eo, quod Catholicae Fidei, aut bonis moribus opponatur, inveni; immo quum a capite ad calcem totus omnigena eruditione sit refertus, perutilem Antiquitatum scrutatoribus fore existimo, si typis committatur; quare &c.

Romae ex Aedibus in Collegio Sapientiae idibus Decembris MDCCLXXVIII.

Prosper Petronius Bibliothecae Sapientiae Praefectus.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Epiſcopus Montis Alti, ac Viceſgerens.



IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.



IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII
PRAEFATIO

I. A est temporis edacitas, ut cuncta paullatim dissolvat, nullaque res sit vel pretio, vel soliditate, vel quocumque alio nomine praestans, quae eius imperium detrectare se posse confidat. Si Romanorum monumenta ad aeternitatem constructa perpendamus, quae nunc vel diruta, vel male consistentia oculis nostris obversantur, intimo quodam dolore percellimur, & aegre licet, indubie tamen fluxam rerum humanarum conditionem agnoscimus. Ceterum is est de animi nostri immortalitate nobis inditus sensus, atque ita alte defixus, ut veluti tacite ab eo profectum intelligamus tum desiderium, quo tangimur, veterum monumentorum anxie perquirendorum, tum solertiam, quam in iisdem vel reipsa conservandis, vel in longius duratura materia excipiendis impendimus. Haec peragentes videmur quodammodo inanimatis rebus nostram tribuere immortalitatem, qui & easdem posteritati commendemus, & earumdem praesidio veluti nos ipsos ad transactas remotissimas aetates, ad quas pertinent, transferamus, atque

atque ita exiguam nimis vitae noſtrae brevitatem vel producendo, vel compenſando nobis libentiſſime blandiamur. Quae ergo veterum artes, & profeſſiones condiderunt, Signa, Protomas, Hermas, Anaglypha, Sarcophagos, Titulos, ceteraque monumenta colligere tum primum ſategit Franciſcus Petrarcha, quem ſuae aetatis perpauci, plures ſequiorum temporum imitati, tum Muſea, & Villas iiſdem lucupletantes a ſitu, ſqualiore, quin & interitu providiſſime vindicarunt. Sed in irritum ceſſiſſet haec ipſa ſollicitudo, niſi typorum etiam acceſſiſſet ſuccenturiata ſedulitas. Quot enim diſtracta Muſea, quot iam Villae labefactatae, & quot vel avulſa, vel rurſus obruta, atque etiam foede diſrupta, quae ibidem exſiſtebant, monumenta veluti ab oculis noſtris aufugerunt! Quare laetandum nobis eſt, eo perveniſſe humanae mentis acumen, ut ipſis temporum, & rerum viciſſitudinibus obſiſtere, & vim inferre non dubitaverit, & curas curis addendo nova excogitaverit praeſidia, quibus diuturniori huiuſmodi monumentorum conſervationi proſpiceret. Hinc ergo eſt, ut quae in unum collecta monumenta perierunt, perenniter vivant in eruditorum Voluminibus vel typis aeneis conſignata, vel doctis illuſtrata adnotationibus, quibus nunc autographorum deſiderium nobis reparari quodammodo videatur. Quare non aliam ob cauſſam, neque etiam abſimili ratione quae olim laudabili providentia Cyriaci, & Aſdrubalis ex Matthaeia gente Procerum, & Iovii Marchionum tum in Hortis Caelimontanis, tum in Aedibus ad Circum Flaminium coacta, & collocata fuerunt omnis generis monumenta, nunc primum aereis formis inſculpta, noſtris illuſtrationibus ditata, in unum collecta, rite diſpoſita, ac tribus comprehenſa Voluminibus preli beneficio in publicam lucem emittuntur. Licet enim, ut ſuo loco monuimus, & deinceps etiam monebimus, multa eorum a prioribus hiſce domiciliis

pro-

profecta in celeberrimum illud Musarum Sacrarium, Museum nempe Clementinum Vaticanum, concesserint aevo quam longissimo fruitura, tamen non omnia illuc se receperunt, multa quinimmo procul iam abiere, ac multa etiam in dies fatiscunt. Videt, credo, porro unusquisque, e re omnino fuisse, ut quae olim fuerit tanta monumentorum congeries, uno oculi ictu perlustretur, tum domi, & foris, tum praesenti, ac futuro tempore innotescat. Desiderandum quidem erat, Hortos, & Aedes Matthaeiorum tantis conspicuas monumentis litteratorum obtutibus exhiberi, ne tot aliis, numquam cum iis comparandis, quae hoc beneficium nactae fuerant, veluti quodammodo inferiores & haberentur, & essent.

II. Postquam litterarum, & veterum scriptorum, monumentorumque studium adolevit, tum artes ipsae, quibus ab honestate nomen est, barbariem a Gothis, Langobardis, ceterisque septentrionalibus populis inauspicato invectam Italia exsulare iusserunt, homines conformare se urbanitati, cultui, & magnificentiae Romanorum veluti quadam concertatione facta coeperunt. Inter cetera Romanae magnificentiae opera, quibus luxus impensius excreverat, & ipse Persarum fastus, & opulentia obscurata omnium iudicio censebatur, Villae profecto fuerunt, quibus nihil pulchrius, nihil amoenius, nihil praestantius & spatii amplitudine, & structurae excellentia, & aedificii decore, & operum copia haberi poterat. Exstant nunc etiam Tibure Hadrianeae Villae vestigia, quae supra reliquas plane excellebat, & ex qua tam insignia & Graecorum, & Aegyptiorum monumenta prodierunt, ut iis Museum Capitolinum tamquam cimeliis omnino singularibus, omniumque praestantissimis inclaruerit (1). Scatebat porro Tiburtinus ager

(1) *Pyrrhi Ligorii Descriptio Villae Tiburtinae Hadriani Caesaris. Romae 1551. in fol. cum figuris.* Vide Iosephum Roccum Vulpium *Vet. Lat.* Tom. X., & omnes Tiburtinos Historicos, Ioh. Franc. Martium, & Antoninum Regium, tum Idyllium Fabii Crucii, inferius citandum. Omnium alie-

ager multis aliis privatorum civium ſeceſſibus longe elegantiſſimis, inter quos omnium deliciarum genere conferta eminebat Maecenatis Villa, aderantque aliae, quae ad Manlium Vopiſcum (1), Munatium Plancum, Salluſtium Criſpum, C. Caſſium, Quintilium Varum, Marcum Lepidum, & Cynthiam Propertii amicam, alioſque pertinebant. Praetereo Ciceronis Tuſculanum (2), quod fuerat antea Syllae, tum Formianum, Cumanum, Puteolanum, & quod omnibus celebrius, porticu, & nemore inſigne, atque Academicis quaeſtionibus ſacrum, Pompeianum. Celebre & Horatii diverſorium in Sabinis (3), Catulli extra Portam Valeriam ad ripam Anienis (4), Senecae in via Nomentana (5), Martialis ibidem (6), & *longo Ianiculi iugo* (7), aliorumque.

III. Horum igitur imitati exempla ſaeculi XVI. magnates opulentia, luxu, & litteris praeſtantes ſuburbana condere coeperunt amoeniſſima, quorum primum illud eſt, quod in oppido Bagnaiae anno CIƆIƆXI. inchoatum tandem perfecit Ioh. Franciſcus Gambara Card., & Viterbienſis Eccleſiae Epiſcopus, cuius fata & Franciſcus Marianius (8), & Felicianus Buſſius (9) late pro-

alienigenarum frequentia celebratur haec Villa, nec caruit praeſentia IOSEPHI II. Imp. Pii Felicis Aug., cuius rei memoria marmore inſculpta haec eſt:

Imp. Caeſ. Ioſepho . II
Petro . Leopoldo . M. Etruriae . Duci
Archiducibus . Auſtriae . Germanis . Fratribus
PP. FF. AA
Quum . Roma . Tibur . divertiſſent
Hadrianae . Villae . veſtigia
In . hoc . fundo . ac . vicinia . conſpicua
Huius . Villae . Dominus . demonſtravit
Ioſephus . Eques . de . Fide
Aulae . Caeſareae . Conſiliarius
XIII. Kal. Apr. A. MDCCLXIX

(1) Vid. Statium *Silv.* Lib. I. 3.

(2) Vid. Ioh. Lucam Zuzzerium (*D'una antica Villa ſcoperta ſul doſſo del Tuſcolo ; Venezia* 1747.) qui Ruffinellae delicium locum fuiſſe Tullianae Villae exiſtimat; tum Gregorium Placentinium *de Tuſculano Ciceronis, nunc Crypta Ferrata; Romae* 1758.

(3) Vide *Diſſertazione di Domenico de Sanctis tra gli Arcadi Falciſco Cariſtio ſopra la Villa di Orazio Flacco; Roma pel Salomoni* 1761., & *Decuoverte de la Maiſon de Campagne d'Horace par l'Abbé Bertrand Cap Martin-Chaupy ; à Rome* 1769. *vol. III.*

(4) *Hendecaſyll. XLII.*

(5) *Epiſt.* 104., & 110.

(6) *Lib. I. Epig.* 106.

(7) *Lib. IV. Epig.* 64.

(8) *In Parergo de Epiſcop. Viterbien. poſt Diſſertationem de Etruria Metropoli; Romae* 1728.

(9) *Iſtoria della Città di Viterbo; in fine della Cronologia de' Veſcovi; Roma* 1742. Conditorum nomina hiſce verſibus Petri Magni ibidem exaratis innuuntur:

Nec

profequuntur. Tum prodierunt, ac longe lateque inclaruerunt Horti Tiburtini, quos poft Card. Bartholomaeum Quevam, qui a Iulio III. obtinuerat, Card. Hippolytus Eftenfis exftruxit, permagnifico praetorio auxit, & antiquis ftatuis, picturis, regiaque prorfus fupellectile locupletavit. Hi dein in Card. Aloyfium Eftenfem translati funt, quo vita functo, ex Hippolyti teftamentaria voluntate, & iudiciali fententia, eorumdem ufura XII. annorum fpatio ceffit Sacri Collegii Decano, donec purpura donato Alexandro Eftenfi, eorumdem ius in ipfa familia inftauratum eft, novafque a legitimis dominis & additiones, & reparationes poftea habuerunt (1). Tiburtinum hoc delicium carminibus celebravit M. Ant. Muretus, ac praedicarunt infuper Ubertus Folietius (2), Ioh. Francifcus Martius (3), Antoninus Regius (4), Fabius Crucius (5), Ferdinandus Ughellius (6), Francifcus Scottius (7), Rodulphinus Venutius

Nec placuiffe tibi laus ultima, magne Riari,
A quo primus honos, nobilitafque loci.
Quod fi longa tuae neviffet ftamina vitae
Invida Parca, nihil quod quereremur erat.
Saltem magnanimi virtus praeclara Rodulphi
Serius ad fuperos hinc abiiffet heros.
Nunc, o Dive loci praefes, tibi Gambara poft hos
Contigit haud opibus, fed pietate pari.

(1) Teftes funt fequentes Infcriptiones:

I.

Regios . Eftenfium . Principum
Hortos . immenfo . Card. Hippolyti
Sumptu . praeruptae . rupis
Afperrimis . cautibus
In . molliffimi . clivi . penfiles
Ambulationes . converfis
Ac . terebrati . per . montis . vifcera
Ductis . ex . Anniene . innumeris
Fontibus . admirandos . ab . Aloyfio
Et . Alexandro . Cardinalibus
Magna . fplendidi . cultus
Acceffione . nobilitatos

II.

Sereniffimi . Francifci . II. Mutinae . Regii. &c. Ducis
Vel . abfentis . munificentia
Fontes . ifti . temporis . iniuria . collabentes
Magnificentiori . forma . conftructi
Et . venuftati . quam . vides
Reftituti
Anno . Salutis . MDCLXXXV

(2) *Tyburtinum Hippolyti Card. Ferrarien. ad Flavium Vrfinum Card. ampliff.*, *inter Opera fubficiva Vberti Folieti Genuen. Romae apud Franc. Zanettum* 1579., & in Tom. I. Part. II. *Thefaur. antiq. & hiftor. Italic. Ioh. Georg. Graevii. Lugd. Batav.* 1704.

(3) *Hiftor. Tiburt.* Lib. V. num. 174. *Thef. Graev.* Vol. III. pag. 4.

(4) *Antichità di Tivoli di Antonino del Re*; Tom. eod. *Thef. Graev.*

(5) *Ville di Tivoli defcritte dall' Arciprete Fabio Croce di detta Città; Idilio divifo in due racconti, nei quali fedelmente fi narrano non meno le Ville, che anticamente v' ebbero, e frequentarono gl' Imperatori, Re con altri infigni perfonaggi, e celebri virtuofi, ma la medefima della Sereniffima Cafa d' Efte &c. In Roma per il Mancini* 1664. in 8.

(6) *In additionibus ad Alphonfum Ciacconium de Pontiff. Rom., & S.R.E. Cardd.*, ad ann. 1539., ubi de Hippolyto Card. Eftenfi.

(7) *In Itinerario Italiae* Lib. III. pag. 681.

nutius [1], Iohannes Petroskius [2], Iosephus Roccus Vulpius [3], Ioh. Andreas Barottius [4], aliique. Picturam vero aeneis typis Romae publicavit Corona Pighius. In hos oculos suos potissimum intendit, & horum exemplo incensus est Cyriacus Matthaeius, quo dein suos in Caelimontio excitaret, quos late describemus, postquam ceteros, qui dein Romae, vel in eius vicinia conditi sunt, levi calamo attigerimus.

IV. Fere eodem tempore excitari coepit ab Alexandro Farnesio Card., Paulli III. fatris filio, Caprarolae delicium, insigni praesertim architectura Iacobi Barotii a Vignola, & praeclaris Thaddaei, Friderici, & Octaviani fratrum Zuccariorum, Antoniique Tempestii picturis celebratissimum [5]. Heic etiam laudandi nunc veniunt Horti, qui primum ex iussu Card. Iulii Medicei, qui fuit postea Clemens VII. P. M., formam praebente Raphaele Sanctio, constructi sunt ad Clivum Cinnae (nunc Montem Marium dicunt), picturisque Iulii Romani, & Ioh. Utinensis ornati sunt, ac tandem in Farnesiam gentem, quae cultu splendidiores, & opere ampliores fecit, devenerunt [6]. Recensenda insuper est Villa Philonardia, quam Ennius Philonardius S. R. E. Card. Tibure sibi comparavit, quaeque nunc squallet, & rimarum plena undique fatiscit, atque dilabitur [7]. Quid vero memorem Hortos a Iulio III. extra Portam Flaminiam dein mire exstructos, a Fausto Sabae-

(1) *Descrizione topografica, ed istorica di Roma moderna* Tom. II. pag. 925.

(2) *Trigonometrica Dioecesis, & Agri Tiburtini Topographia, veteribus viis, villis, ceterisque antiquis monumentis exculta &c. Romae typis Generosi Salamoni*, pag. XIII.

(3) *Vet. Lat.* Tom. X.

(4) *Memorie Istoriche de' Letterati Ferraresi; opera postuma. In Ferrara nella Stamperia Camerale* 1777. Vol. I. pag. 336.

(5) Vide *Studio d'Architettura civile sopra varie Chiese, Cappelle di Roma, e Palazzo da Caprarola &c. Opera de' più celebri Architetti, disegnata da diversi. Libro in* 83. *fol., e mezzi fol. Imper. Parte III.* Tum *Descrizione, e relazione istorica del nobilissimo real palazzo di Caprarola &c. da Leopoldo Sebastiani; Roma per gli eredi del Ferri* 1741. *in* 8. Vide Epigramma Aurelii Ursii Romani *de Caprarolae descriptione ad Card. Farnesium* Lib. III. Epigr. 21. pag. 73. utriusque editionis Parmen. 1589., & Bonon. 1594.

(6) Nunc *Villa Madama* vulgo audit.

(7) Vid. Iosephum Roccum Vulpium *Vet. Lat.* Tom. X. Lib. XVIII. Cap. X. pag. 379.

baeio [1], & Francifco Commendonio [2] carminibus laudatos, tum a Scottio [3], Boiffardio [4], Ciacconio [5], Panvinio [6], aliifque fufe defcriptos ? Ii namque a Clemente XIV., & PIO VI. Summis Pontificibus nuper reparati eruditorum omnium oculos in fe converterunt, & aeneis formis expreffi, noftrifque illuftrationibus aucti in publicam lucem ad Architectonicae artis praefertim adiumentum propediem prodibunt. Laudari vero iure poftulant Horti Medicei in Colle Hortulorum exfiftentes, a Card. Ioh. Puccio Politiano inchoati, & dein ab altero, eoque eximio Romanae purpurae ornamento, tum Magno Etruriae Duce Ferdinando Mediceo multis eruditae vetuftatis praeclaris reliquiis, & exoticarum linguarum typographia longe celeberrima magnificentiffime amplificati. Commemoratio faltem defiderium reparet Hortorum Carpenfium, quos in Quirinali olim aedificaverat, atque adeo praeclaris ornamentis infigniverat Rodulphus Pius S. R. E. Card., ut CXXXVI. amplius ftatuae in iis numerarentur, quarum praeftantiores recenfet Ulyffes Aldrovandius [7], eas infuper referens, quas & ipfius Palatium in Campo Martio fervabat. His iungantur & Horti illi, qui olim in Suburra prope Amphitheatrum Flavium, & Templum Pacis a Card. Lanfranco conditi, Carpenfes dein facti funt. Prodierunt & hoc tempore Horti Farnefiani Tranftiberini [8], aliique Palatini [9], ubi nunc vineae, & vepres. Nec reticendi funt modo ma-

(1) *Epigrammatum* Lib. I. pag. 65., 67., 135., 138., 144., 148., 151., 156., 157., 159., & 161.

(2) Ex Mf. Cod. Epiftolar. Cornelii Muffii Epifc. Bituntini apud Cl. Praefulem Stephanum Borgiam a Secretis Sac. Congr. de Propaganda Fide.

(3) *Itiner. Ital.* pag. 483.

(4) *Topographia Vrbis Romae* Tom. I. pag. 50. & feqq.

(5) *In vitis Pontiff.*, ubi de Iulio III.

(6) *In vita Iulii III.* poft vitas Barth. Platinae.

(7) *Delle Statue antiche, che per tutta Roma fi veggono*, pag. 295. Vid. fuperius pag. 201. De Hortis Carpenfibus legendus Boiffardius loc. cit. pag. 46., Scottius loc. cit. Lib. II. Cap. VIII. pag. 476., Francifcus Swertius Lib. II. *Itiner. Italiae*, Andreas Victorellius, ac Ferdinandus Ughellius apud Ciacconium in Rodulphi Pii Card. vita, & Floravantes Martinellius *Roma ex ethnica facra* pag. 39. Vide Portae ectypum inter opera Architectonica Iacobi Barotii a Vignola Tab. XXXXV.

(8) Vid. Scottium loc. cit. pag. 416., Boiffardium loc. cit. pag. 11., & Urfium Lib. I. epigr. 12. pag. 52.

(9) Vid. Scottium pag. 444.

magnificentiſſimi Horti Quirinales Card. Guidonis Bentivoli Ferrarienſis, quibus nulli Romae erant arboribus ſplendidiores, ut & ſilvae ſpeciem praeberent, & labyrinthi (1). Succedant dein Horti Caeſii, *qui*, deſcribente Ioh. Baptiſta Fonteio (2), *ad dexteram Ianiculum habent, ad laevam Vaticanos montes, ante ſe Tiberim, Sancti Spiritus Fanum, & Xenodochium, poſt ſe Prata Neroniana, & fornaces lateribus excoquendis inſtructas, edito in colle, ſecundum aedes Caeſias refertiſſimas ipſas antiquitatibus*. Horum Hortorum Inſcriptiones multas refert ipſe Fonteius, Iulius Iacobonius, ceterique, ac nonnulla eorumdem vetera monumenta iamdiu inde avulſa ad augendam Capitolii maieſtatem praecipue emigrarunt (3). Nonnullis antiquitatis exuviis ditati quoque erant Horti Aventini Maximorum (4). Nec ſua careat laude Bloſianae Villae (5) amoenitas, & Hortorum Coloccianorum apud veteres Salluſtianos (6) tum ob veterum monumentorum copiam, tum ob litteratorum conventum celebritas. Inſuper memoretur Auguſtini Chiſii Suburbanum Tranſtiberinum, in Farneſiam gentem translatum, magni Raphaelis picturis, multiſque antiquitatibus ſpectatiſſimum (7), Marcelli Cervinii Card., & dein Pontificis Max. Villula elegantiſſima (8), ac Petri Melinii altera (9), in qua Poe-

(1) Vid. Scottium pag. 479., & Boiſſardium pag. 47.

(2) *De priſca Caeſiorum gente* Lib. II. Cap. XIII. pag. 154. Vid. Urſium Epigr. 19. Lib. III. pag. 72., ubi de ſimulacro Veſtae in Hortos Octavii Caeſii translato.

(3) In Capitolio:

Clemens . XI. P. M
Romae . de . Dacia . Triumphantis
Captivorumq. Numidarum . Regum . Statuas
Ex . Hortis . Caeſiis
Addito . Aegyptiorum. Signorum . ornatu
Porticuque . a . fundamentis . excitata
Ad . augendam . Capitolii . maieſtatem
Tranſtulit
Anno . Salut. M. D. CC. XX

(4) Vid. Iulium Iacobonium appendice ad Fonteium *de priſca Caeſiorum gente* Cap. XIX. pag. 229.

(5) Vid. Fauſtum Sabacium Lib. III. *Epigram.* pag. 523., 524., & 525. edit. Romae 1556.

(6) Vid. Virum Cl. Ioh. Franciſc. Lancellottium in vita Angeli Coloccii praemiſſa operi, cui titulus: *Poeſie Italiane, e Latine di Monſig. Angelo Colocci &c. Ieſi* 1772. Plures inſcriptiones Coloccianae migrarunt in Palatium Card. Carpinei, teſte Smetio in Praef. Inſcr.

(7) *Suburbanum Auguſtini Chiſii per Bloſium Palladium. Romae per Iacobum Mazochium Roman. Academiae Bibliopolam* 1512.

(8) Vid. Sabaeium loc. cit. pag. 568.

(9) Vid. Benedicti Lampridii Cremon. Odem in *Deliciis Poetar. Italor.* Tom. I. pag. 1311.

Poetas de more familiae coena excipere ipſe ſolebat. Accedat Villa Lantia in Ianiculenſi colle ſita, quam Iulii Romani architectura, & picturae celebrem praeſertim fecerunt. Accipe nunc & veteres Hortos Vaticanos (1), quibus Hortus Botanicus quinetiam Nicolai V. iuſſu olim conditus adnectebatur (2), quoſque amoeniores fecit hoc tempore Pius IV., exſtructo ibidem delicio ſane elegantiſſimo, uſus opere Pyrrhi Ligorii, qui formam dedit, & perficiendam curavit. Huc etiam revocanda Villa ampliſſima, quam ad Tuſculanum aedificavit Card. Marcus Siticus Altempſius Pii IV. ſororis filius, quae Mondragonis dicta eſt, quaeque dein facta eſt Card. Scipionis Burgheſii, a quo multa etiam habuit incrementa. Sed iam properemus ad celebres Hortos Viminales, ſive Exquilinos, quos Sixtus V. condidit, inſignibuſque ornavit veterum monumentis, qui proinde & Perettii, & Montaltini dicti ſunt, quos Aurelius Urſius Romanus (3) praeſertim carminibus celebravit, quoſque dein ſuos fecit Ioh. Franciſcus Nigronius Genuenſis S. R. E. Cardinalis (4). Tum his iungantur proximitate, & eiuſdem Pontificis beneficentia, & auſpiciis affines Horti Viminales Martii Frangipanii (5), qui nunc ad Strotiam gentem pertinent; atque ita finis imponatur praecipuis, quae tulit ruralia delicia ſaeculum XVI.

IV. Nec minori celebritate, magnificentia, ac veterum monumentorum congerie praeſtiterunt huiuſmodi Suburbana,

quae

(1) *Belvedere* vulgo audiunt. Vid. *Delic. Poetar. Italor.* Iani Gruteri Tom. I. pag. 638.

(2) Vid. *Horti Romani brevem Hiſtoriam* Georgii Bonellii Cl. Medicinae Profeſſoris in Archigymnaſio Romanae Sapientiae ad Tom. I. *Horti Botanici Romani* pag. 1.

(3) *Carminum* Lib. II. pag. 18. *Perettina, ſive Sixti V. Pontif. M. Horti Exquilini*, & Lib. III. Epigr. 24. pag. 73. *de Perettina Sixti V. P. M. Villa carmine deſcripta*; mittit nempe verſus ſuperius indicatos.

(4) In muro Hortor. prope Baſilicam Liberianam:

Sub . praeſidio . Deiparae
I. F. tit. S. M. in . Ara . Caeli . Card. Nigronus
Se . ſuos . ſuaque . conſtituit
Die . V. Aug. ann. Domini . MDCCVII

(5) In fronte Aedium:

Sixto . V. Pont. Max
Ob . collata
In . ſe . beneficia
Hortoſque . Viminales
Auctos
Martius . Frangipanius
Grati . animi . ergo

quae dein ſaeculo XVII. exſtructa ſunt. Tuſculum quidem amoenitate loci multos ad ſe rapuit, & ad deliciarum ſeceſſus ibidem aedificandos invitavit. Talis eſt, quem Petrus Aldobrandinius Clementis VIII. fratris filius regiis prorſus impenſis, & apparatibus exſtruxit (1), & cui ab ipſo grato proſpectu nomen inditum eſt. Eidem etiam accepti referendi ſunt, qui in Quirinali colle eius Aedibus iunguntur, & veterum nuptiarum picturis, ex Titi thermis adductis, Horti potiſſimum celebrantur. Romae in Ianiculi vertice prope Portam Aureliam delicium ſibi comparavit Innocentius Malvaſia (2) Annonae Praefectus, eum locum occupans, quem ibi Horti Martialis olim obtinuerant (3). Quis vero pro dignitate referat Hortos Pincianos ſplendidiſſimos, quos condidit Card. Scipio Caffarellius in Burgheſiam gentem adſcitus, quoſque tot, ac tantis elegantioris antiquitatis cimeliis, tum & picturis locupletavit? Manillius, Montelaticus, Leporeus, Brigentius, aliique (4) ſatis ſuperque eoſdem celebrarunt. Nec ipſe Paullus V. Burgheſius,

(1) Inſcriptio ibi legitur:

Petrus . Aldobrandinius
Clem. VIII. Fratris . Filius
Redacta . in . poteſtatem . Sanctae . Sedis . Ferraria
Reipublicae . Chriſtianae . ſalute . reſtituta
Villam . hanc
Deducta . ex . Algido . aqua . extruxit

Vid. *Villa Aldobrandina Tuſculana, & varii illius Hortorum, & Fontium proſpectus; in fol.* Edidit Dominicus Barriere ann. 1647. Tabulis XV., & dicavit Ludovico XIV. Galliarum Regi.

(2) Perfecit anno 1604., ut docet Inſcriptio, quae ſic ſe habet:

In . hoc . Colle . Iani . Bifrontis . memoria
Et . Martialis . Poetae . Hortis . celebri
Suburbanum . hunc . ſeceſſum
Domo . clauſtro . ſtatuis . picturis
Fonte . aviario . pomario . vinea
Inſtructum . ornatum
Innocentius . Malvaſia . Cam. Apoſt. Clericus
Annonae . Praefectus . ſibi . amicis
Animi . cauſa . comparavit
Anno . Sal. MDCCIIII

(3) Vid. Epigr. LXIV. Lib. IV:

Hinc ſeptem dominos videre montes,
Et totam licet aeſtimare Romam.

(4) *Villa Borgheſe fuori di Porta Pinciana di Giacomo Manilli Romano. In Roma per Lodovico Grignani* 1650., *in* 8. *Villa Borgheſe fuori di Porta Pinciana con l'ornamenti, che ſi oſſervano nel di lei palazzo, e con le figure delle Statue più ſingolari. In Roma per Gio. Franceſco Buagni in* 8., Auctorem habet Dominicum Montelaticum. *Deſcrizione della Villa di Borgheſe di Lodovico Leporeo in* 4. Vide *Apes Urbanas* Leonis Allatii pag. 185. *Poetica deſcriptio Villae Burgheſiae vulgo Pincianae Andreae Brigentii. Romae* 1716., *in* 8. *Deorum Concilium in Pinciis Burgheſianis Hortis ab Eq. Ioh. Lanfranco imaginibus, monocromatibus, & ornamentis expreſſum.* Delineavit, & inſculpſit Petrus Aquila, fol. IX. imper. *Epiſtola Franciſci Blanchinii de nobiliſſimo hoſpite Comitis de Trauſnitz nomen profeſſo, & in Villa Pinciana Burgheſiorum Principum excepto die* 27. *Maii* 1716. *Romae* 1716.

ſius, qui Quirinale Mutatorium Pontificum excitavit, Hortos ibidem deſiderari, neque eoſdem & veterum monumentis, & ceteris honeſtae voluptatis deliciis carere voluit. Celebres, & antiquis monumentis referti ſunt Horti Ludoviſiani, quibus locus cum vetuſtis Salluſtianis Hortis communis aliqua in parte eſt, quique Cardinalem Ludovicum Ludoviſium praecipuum auctorem habent. His nectantur Horti alii Ludoviſiani iucundiſſimi, quos dein ſuos fecit gens nobiliſſima de Comitibus, in Tuſculo poſiti. Non elegantia ſolum, ſed etiam Ioh. Tomci Marnavitii Boſnenſis Epiſcopi deſcriptio celebrem fecit Villam Sacchettiam Oſtienſem (1). Quis omnes recenſeat Barberiniae gentis delicias & in Vaticano, ubi olim Horti Neronis, & in Ianiculenſi, & in Quirinali colle (2), & ad Caſtrum Candulphi etiam magnifice conditas? En Rufina Villa in vertice Tuſculi, ubi Tuſculanum Ciceronis aliqui ſtatuerunt, ut & ſuperius innuimus, quam Alexander Rufinus Romanus Melphienſium Epiſcopus exſtruxit. Prodeat & nunc Ianiculenſis Nobilia Villa, cui nunc Spadiae a gente, quae eam poſtea obtinuit, nomen eſt, quamque inter Aureliam Portam, & Hortum publicum Botanicum Vincentius Nobilius excitavit (3). Sed Ianiculenſem collem nulla magis conſpicuum fecit, quam Pamphilia Villa, cuius proſpectum, delineationem, & praeſtantiora monumenta typis aeneis per Ioh. Bapt. Faldam inſculptis exhibuit Ioh. Iacobus Rubeus, qui opus inſcribens Principi Ioh. Bapt. Pamphilio perperam Alexandri Algardii archi-

(1) *Villa Sacchetta Oſtienſis coſmographicis tabulis, & notis illuſtrata, ruſticanis legibus, officinarumque inſcriptionibus adnotata &c. Romae apud Ludov. Grignanum* 1630., *in* 4. Vid. Leonem Allatium in *Apib. Urban.* pag. 166.

(2) Vid. Tetium in *Aedib. Barberin.* p. 37., & ſeqq.

(3) Haec ibidem legitur Inſcriptio:

Villa . Nobilia
Viator
Hic . ubi . Aedes .. ad . animos
Inter . amoena . exhilarandos
A . Vincentio . Nobilio . excitatas
Adſpicis
Aug. Caeſarem . aquae . de . ſuo . nomine . vocitatae
Ex . Lacu . Alſiatino . milliario . XIV
Conceptae
Et . in . Tranſtiberinam . Regionem . perductae
Emiſſarium . exſtruxiſſe . ne . ſis . neſcius
Dixi . abi . felix . & . vale
An . Sal . MDCXXXIX

architecturam fecit, cum ad Ioh. Franc. Grimaldium Bononienſem pertineat [1]. Exquilinum vero collem tenet, atque ornat Villa Alteria, in qua Statuae, Protomae, Inſcriptiones, & ſepulcri Naſonum Picturae nonnullae veteres adſervantur. Iuſtinianea Villa, quae extra Portam Flaminiam & veterum cimeliis, & recenti cultu conſpicua olim erat, nunc omnino ſquallet, eiuſque ornamenta praecipua iam ad alteram iuxta Lateranum ſitam amplificandam proceſſerunt [2]. Dies me deficeret, ſi ceteras minores Villas, Coſtagutiam, Carpineam, Caeſeriniam, Urſiniam ad Arcus Neronianos, Gilliam via Portuenſi, Caſaliam in Caelimontio, Gymnaſiam in Aventino, Sanneſiam via Flaminia, Nariam via Salaria, Cinquiniam via Nomentana, aliaſque ſingillatim percenſere, ac deſcribere nunc vellem.

V. Quare memorentur nunc tandem Villae praeſtantiores, quas tulit noſtra aetas. Praeſtat extra Portam Nomentanam ſplendide exſtructa Patritia Villa [3], quam immortalis memoriae Pontifex Clemens XIV. honeſtum oblectamentum capturus quotidie fere adire conſueverat. Tranſtiberinas Aedes Corſiniae gentis, olim Riariae, ubi iam degerat Chriſtina Suecorum Regina, ornatiores facit Viridarium amplum, amoenumque, quod iiſdem coniungitur. Huic proximum eſt aliud eiuſdem Corſiniae gentis Delicium extra Portam Aureliam, ex Simonis Salvii architectura conſtructum, Ioſephi Paſſerii picturis inſignitum, pomario auctum, & veterum columbariis, quae Petrus Sanctes Bartholius illuſtravit [4], & quorum

(1) *Villa Pamphilia, eiuſque Palatium cum ſuis proſpectibus, ſtatuae, fontes, vivaria, theatra, areolae, plantarum, viarumque ordines cum eiuſdem abſoluta delineatione. Romae formis Ioh. Iacobi de Rubeis in fol.* Dicitur haec Villa *Belreſpiro*.

(2) *Anno* 1715.

(3) In fronte Aedium haec leguntur:

Ioannes
Card
Patritius
Anno
MDCCXVII

(4) Vid. Praef. ad librum, cui titulus *de' Sepolcri degli antichi*; & opus alterum eiuſdem poſtumum editum Pariſiis a Cll. Viris Cayluſio, & Mariètteio, quod inſcribitur *Peintures antiques*.

rum unum eſt libertorum Verginiae gentis, noſtra aetate detectum [1], refertiſſimum; quod licet exacto ſaeculo ortum, noſtro tamen maxima ex parte eſt amplificatum. Ad Portam Nomentanam, contra Coſtagutiam Villam, novam excitavit Colbertii aemulus Silvius Valentius Gonzaga Mantuanus, S. R. E. Cardinalis, & ſapientiſſimi Pontificis Benedicti XIV. a ſecretioribus conſiliis, quam doctis omnibus patere iubebat, & antiquis inſcriptionibus, exoticis plantis, pluribuſque ex India, & America advectis cimeliis abunde ditaverat [2], quaeque dein a Card. Proſpero Columna Sciarra comparata Barberiniae genti nunc acceſſit. Extra eamdem Portam aliam ſibi paravit Villam, nonnullis antiquis monumentis ornatam, Cardinalis Hieronymus Columna Aerarii Pontificii Quaeſtor, Camerarius vulgo nuncupatus. Seceſſum quoque via Aurelia ſibi fecit iucundiſſimum Card. Ioſephus M. Feronius Florentinus, qui primus docuit hortos topiario opere ex malis medicis inſtruere, ne voluptas, & magnificentia ſolo ſumptu, & ſterilitate diſtingueretur, quin potius ex ipſo luxu, & oblectamento non mediocris gigneretur proventus. Deliciis, & elegantia ſpectatiſſimam Villam inſuper aedificavit extra Portam Salariam non longe ab Aniene, & ponte Narſetis Flavius Chiſius Iunior S.R. E. Cardinalis, quem mox dira fati ſors peremit. Verum ceteris ſupereminet, & iam omnium maxime fama celebratur ſplendidiſſima Villa, quam extra Portam Salariam aedificavit, & quotidie etiam amplificat Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis Alexander Albanius, qui regio plane cultu, & exquiſita elegantia ipſam perfecit. Aegyptiaca, Graeca, & Romana eruditae antiquitatis monumenta ubique ſe produnt, quorum pleraque anecdota typis aeneis expreſſit, doctiſque illuſtravit expli-

(1) Vid. Ephemerides litterarias Florentinas Cl. Ioh. Lamii anni 1763. n. 21., & ſeqq. col. 321., & ſeqq.

(2) Vid. *Elogio del Card. Silvio Valenti Gonzaga* (del Ch. Monſig. Claudio Todeſchi) . *In Roma dalle ſtampe del Salomoni* 1776. pag. 34.

plicationibus Vir Cl., idemque infelicissimus Iohannes Winckelmannius Saxo, olim Nethnicii in Agro Dresdensi Bunavianae Bibliothecae, quae in Electoralem postea migravit, Custos alter, tum Romanae Ecclesiae sacra professus, Romanarum antiquitatum praefectura ornatus, Bibliothecae Vaticanae Scriptor Graecus renunciatus, & Albaniae ipsius Bibliothecae curandae praepositus (1). Cetera, quae ipse intacta reliquit, eadem plane ratione exposuit Vir alter eruditissimus Stephanus Raffeius (2); ut ceteros praeteream, qui sparsim ipsa vel explanantes, vel laudantes celebratissimam hanc Villam undique praestiterunt. Tanto apparatui respondent & picturae, quae auctorem habent Antonium Raphaelem Mengsium, cuius praestantia eo pervenit, ut Urbinatensis virtuti proxime accessisse omnium iudicio existimetur. Vere quidem dixeris & Gratias, & Musas heic habere domicilium, ac veterum Consulum, & Augustorum tamquam redivivam exsurgere maiestatem. Non igitur mirum, si splendidissimum huius Villae atrium patuerit Camoenis Dardani Aluntini, Iosephi II. Caesaris (3), & Hermelindae Thalaeae, Mariae Antoniae Walburgae Bavarensis, Saxonicae Electricis viduae (4) laudes concinentibus, ipsumque Augustissimum Principem, & Romanorum Imp. electum, Romae degentem, anno CIↃIↃCCLXIX. a. d. XIV., & V. Kal. Aprilis & invisentem, & admirantem tantarum rerum copiam, & prae-

(1) *Monumenti antichi inediti spiegati, ed illustrati da Gio. Winckelmann &c. Tomi II. Roma 1767. in fol.*

(2) *Ricerche sopra un Apolline della Villa dell'Emo Sig. Card. Alessandro Albani. In Roma 1772. Saggio di osservazioni sopra un Bassorilievo della Villa suddetta* (esprimente il voto di Berenice) *In Roma 1773. Osservazioni sopra un altro Bassorilievo della medesima Villa Albani* (esprimente Ercole domatore d'Echidna Scitica). *Dissertazione sopra un singolar combattimento espresso in Bassorilievo, esistente nella Villa suddetta,* (cioè la monomachia di Mennone con Achille). *Filottete addolorato, altro Bassorilievo nella Villa stessa; in fol.*

(3) *Adunanza tenuta dagli Arcadi per l'elezione della Sacra Real Maestà di Giuseppe II. Re de' Romani. In Roma 1764.*, cui adnectitur Tabula aenea exprimens frontem Aedium, & Atrii ornatissimi.

(4) *Adunanza tenuta dagli Arcadi nella Villa Albani ad onore di S. A. R. Maria Antonia Walburga di Baviera Elettrice Vedova di Sassonia, fra le Pastorelle acclamate Ermelinda Talèa. In Roma 1772.*

& praeſtantiam, ibidem mire coactam, & concinne diſpoſitam conſpexerimus [1].

VI. Recenſitis Hortis omnibus, aut ſaltem celebrioribus, qui vel praeceſſerunt, vel ſubſequuti ſunt Matthaeianos noſtros, reſtat modo, ut de ipſis preſſius, & latius dicamus. Locum nunc perpendimus. Iidem ſiti ſunt in ea Pomoerii parte, quam Aurelianus intra Urbem complexus eſt [2], quaeque in Regione II. Caelimontana comprehendebatur. Manſiones Albanas antiquitus hunc locum potiſſimum tenuiſſe, cenſuerunt Boiſſardius [3], Marlianius [4], & Donatius [5], ſed nullam, qua niterentur, rationem attulerunt. Quare incertus, ſi Nardinio [6] credimus, adhuc eſt harum Manſionum locus, neque nos quidquam etiam hac de re ſtatuere auſimus alibi de iiſdem loquentes [7]. Proxima huic Caelimontii parti fuiſſe, immo ipſam occupaſſe aliquando Caſtra Peregrinorum ab Auguſto inſtituta, alii cenſuerunt, atque inter ceteros Panvinius [8], & Vignolius [9], innixi potiſſimum veterum inſcriptionibus, in quibus eorum mentio, quaeque vel in area Aediculae Sanctae Mariae in Domnica, vel prope Aedem rotundam S. Stephani inventae ſunt; ut nunc praeteream, quae etiam in laudata area erutae fuerunt Benedicti Aegii Spoletini aetate, quas ipſe edidit [10], quibuſque adductus & eadem Caſtra ibidem agnovit, & eos, qui ponunt ad Templum SS. IV. Coronato-

(1) Huius rei accipe monumentum ibidem poſitum:

Ioſepho . II
Pio . Felici . Auguſto
Quod . has . Aedes . praeſentia . ſua
Maximus . hoſpes . impleverit .
Alexander . Card. Albanus
M . P

(2) Vid. Fabrettium *de aquis, & aquaeductibus* n. 45. ad 53.

(3) *Topograph. Vrb. Romae* Tom. I. pag. 34.

(4) *Topograph. Vrb. Romae* Lib. IV. cap. 9.

(5) Lib. III. cap. XII.

(6) *Rom. vet.* Lib. III. cap. 7.

(7) *Append. ad Fragmenta veſtigii veteris Romae Ioh. Petri Bellorii* Tab. XXVI, pag. 95.

(8) *Deſcr. Vrbis Romae, Theſ. Antiq. Roman. Graevii* Tom. III. pag. 286.

(9) *Inſcript. ſelect. poſt Diſſert. de Columna Imp. Antonini Pii* pag. 183., e ſeq.

(10) In adnotationibus ad *Apollodori Athenien. Biblioth., ſive de Deor. origine &c. Romae in aedibus Antonii Bladi* 1555. Vid. apud Gruter. pag. 22. n. 3. & pag. 393. n. 2., & 3.

natorum (1), impugnavit. Muri pars ſeptentrionalis, qua Horti Matthaeiani cinguntur, licet ad vetus Monaſterium, de quo mox dicemus, potiſſimum ſpectet, pertinebat olim ad ductum aquae Claudiae, cuius ibidem divortia erant; pars enim in Antoninianas Thermas, ut teſtantur litterae adhuc conſpicuae ... NTONIANA, magnis laterum tabulis e muro paullulum prominentibus confectae (2); pars in Palatium Caeſarum tendebat, ut produnt veſtigia aquaeductus interdum occurrentia. His adnectitur arcus adhuc exſtans ex lapide Tiburtino, ſuper quo aqua ad Aventinum procedebat, & in quo legitur inſcriptio ſatis nota (3):

P. CORNELIVS . P. F. DOLABELLA
C. IVNIVS . C. F. SILANVS . FLAMEN . MARTIALIS COS
EX . S. C
FACIVNDVM . CVRAVERVNT . IDEMQVE . PROBAVERVNT

Via, quae ad Clivum Scauri per Curiam Hoſtiliam ante Hortos noſtros procedit, ea cenſetur, qua olim per Tabernolam, antiquae Urbis vicum, aſcendebatur in Caelium (4). Prope etiam aderat rotundum Templum vel Fauni (5), vel Bacchi, vel Claudii, aut etiam Veſpaſiani Impp., ut alii cenſuerunt, quod nunc Nicolai Circiniani, vulgo Pomerancii, & Antonii Tempeſtii picturis, veterum Martyrum diros cruciatus expri-

(1) Inter ceteros *Boiſſard. Topograph. Urb. Rom.* Tom. I. pag. 35. His nunc accedit Horatius Orlandius *Ragionamento ſopra un' Ara antica* (dedicata a Vulcano). Roma 1772. art.ult. pag.95.

(2) Vid: Epiſtolam Flaminii Vaccae latinitate donatam a Montfauconio in *Diario Italico* Cap. X. pag. 148. Gudius pag. 81. n. 10. refert tabulas inventas e regione vineae S. Sixti, & Thermarum Antoninianarum ad radicem Montis Aventini verſus regionem dictam Piſcinam publicam, in quibus haec legebantur:

AQVA . CLAVDIA . ANTONIANA . NOVA
VIRIAE . ALCESTE . ET . L. VIRII . ANTIQ
FORTVNATI

(3) Refert Gruterius pag. 176. n. 2., Panvinius *de Civ. Rom.* Cap. XXIV. col. 217. Tom. I. *Antiq. Rom. Graevii*, Marlianius *Topograph. Urb. Rom.* Lib. IV. Cap. XI., Ficoronius *Veſtigia di Roma antica* Lib. I. pag. 88., Donatius Tom. I. *Supplem. ad Nov. Theſ. Muratorii* pag. 80. n. 5., ſed mutilam, aliique. Fornicis typum habes apud Ioh. Bapt. Piraneſium Tom. I. Antiq. Roman. Tabula XXV. Fig. I.

(4) Nardin. *Rom. veter.* Lib. III. cap. V., Borrichius *de antiqua Urbis facie* Cap. IV., Rondininius *de SS. Ioh., & Paullo, eorumq. Baſilica in Urbe Roma vetera monumenta* Cap. VI. §. I. pag. 59., & 60.

(5) In inſcriptione hoc loco detecta, quam refert Iulius Iacobonius Append. ad Fonteium *de priſca Caeſiorum gente* Cap. IV. pag. 38., memoratur AEDICVLA GENIO AGRESTI dicata.

primentibus (1), ornatum, duplicique columnarum ordine ſuſtentatum Divo Stephano Martyri ſacrum eſt (2). Heic etiamnum conſpicui ſunt arcus Neroniani aquae Claudiae, quibus aqua ipſa ad Palatinum deferebatur. Proxima etiam erat Curia Hoſtilia, a Tullo Hoſtilio III. Romanorum Rege magnifice aedificata, cuius adhuc haberi reliquias, haſque cenſendas eſſe ingentes arcus ex Tiburtino lapide, quibus ſuperſtat nunc turris campanaria, longa inſuper ſubſtructione in hortum porrectos, recentiores plures, praeeunte Flavio Blondio (3), conſenſerunt; idque eo magis, quod ibidem quatuor Pulvinaria marmorea eruta fuerint, quae dein ad ſcalas Aedium Matthaeiarum in Circo Flaminio translata fuerunt, quaeque nos ſuo loco (4) adduximus. Ceterum Pompeius Ugonius (5), aliique aedificium aliquod Caeſarum aetate excitatum in hiſce ruderibus agnoſcendum potius exiſtimant, quod parum credibile videatur poſt tot ſaeculorum lapſum, poſt tot Urbis excidia, atque poſt tot imperii viciſſitudines hactenus antiquiſſimi aedificii reliquias, annorum edacitatis, & direptionum furoris victrices, ſupereſſe potuiſſe. Montfauconius (6) hac de re etiam dubitavit, quod aegre in animum ſibi induceret, immanem illam aedificii molem, caſtrorum more munitam, unicam fuiſſe Curiam; quin potius hinc coniectaſſe nonnullos refert, exſtitiſſe hoc loco Caſtra Peregrinorum. Heic quidem fuiſſe aedes Sanctorum fratrum Iohannis, & Paulli, in quorum honorem dicata eſt proxima Baſilica, ambigi non poteſt; quarum quidem veſtigia haberi putat Philippus Rondinini-

(1) *Eccleſiae militantis triumphi, ſive Deo amabilium Martyrum glorioſa pro Chriſti fide certamina, prout in Eccleſia S. Stephani Rotundi Romae viſuntur depicta, a Vincentio Billy aeneis Tab. expreſſa. Romae* 1714.

(2) Interioris huius Templi proſpectum habes apud Ioh. Bapt. Piraneſium Tom. I. Antiq. Roman. Tab. XXV. Fig. II.

(3) *Romae inſtaur.* Lib. I.

(4) Vol. II. horum Monumentor. Claſſ. X. Tab. LXXII. Fig. I., & II., Tab. LXXIII. Fig. I., & II., & Tab. LXXIV. Fig. I., & II. pag. 93., & ſeqq. Vid. Ficoronium *Veſtigia di Roma antica* Lib. I. cap. XIV. pag. 87.

(5) Libro *de Stationibus Vrbis*.

(6) Cit. *Diar. Ital.* Cap. X. pag. 148.

ninius [1] in quibuſdam arcubus, & ruderibus prope laudatam Baſilicam exſiſtentibus, quorum nemo Scriptorum meminit. Sub Hortis noſtris vetus aliquod etiam fuiſſe aedificium, arguere licet ex marmore reperto eo loci, quod refert Fabrettius [2], & in quo habetur ſimulacrum Veſtae, & artis piſtoriae inſtrumenta, modium, ſpicae, & mola verſatilis, cum hac epigraphe:

VESTAE . SACRVM
C. PVPIVS . FIRMINVS . ET
MVDASENA . TROPHIME

VII. Veterum aedificiis, Hortos Matthaeianos ambientibus, uſque dum recenſitis, accedant Chriſtiana Templa, quae iiſdem ita adhaerent, ut ipſorum pars eſſe videantur. Nihil amplius dicemus de Templo S. Stephani, & de Baſilica SS. Ioh., & Paulli, quae titulus Pammachii dicitur, cum de his, utpote paullo remotioribus, ſatis iam actum videri poſſit. Omnium quidem proximior Matthaeianis Hortis eſt Eccleſia S. Mariae *in Cyriaca*, ſive *in Dominica*, quae & *in Domnica*, & *in Navicula* [3], a navicula marmorea, cauſſa voti locata, quae ante Templum cernitur, dicta eſt. Haec navis inſignita eſt roſtro apri caput referente, quam ex voto Marti, vel alio Numini poſitam aliqui putant a milite in Caſtris peregrinis degente. At Ficoronius [4] Cybeli potius dicatam ſuſpicatur, quod aliud viderit anaglyphum, ab ipſo etiam vulgatum [5], & in Muſeum Veronenſe profectum, ubi navis cernitur, in qua vehitur Dea Cybele, quamque Matrona velata, funis ope, cui adligata eſt, extra aquas ad ſe trahere dextera manu nititur, hac ſubiecta inſcriptione:

MA-

(1) *De SS. Martyribus Iohanne, & Paullo, eorumque Baſilica in Urbe Roma vetera monumenta &c. Romae* 1707. Cap. VII. §. I. pag. 69.

(2) *Ad Tabulam Iliadis* poſt *Columnam Traian.* pag. 339., & *Inſcr.* Cap. VIII. n. 277. pag. 632. Attulimus & nos Tom. III. Claſs. X. *Syllog. Inſcr.* Sect. I. n. 3. pag. 94.

(3) Vulgo *Navicella*.

(4) *Le veſtigia, e rarità di Roma antica* Lib. I. Cap. XIV. pag. 90.

(5) Ibid. Cap. XXII. pag. 148.

MATRI . DEVM . ET . NAVI . SALVIAE
SALVIAE . VOTO . SVSCEPTO
CLAVDIA . SYNTHYCHE
D . D

Nomen Cyriacae, vel Dominicae Ecclesiae inditum videtur a celebri Matrona Romana, quae ibidem aedes habuerit (1), ut & praedium habuit in Agro Verano. Forte sanctae huius Matronae imaginem habes in antiqua pictura ex ipsius Coemeterio ad S. Laurentii extra muros iam eruta, quam Cl. Ioh. Bottarius (2) ex Arringhio adduxit. Ceterum Sanctae Domnicae nomen, & natale Bollandius affert (3) ex Menaeis Graecorum ad d. VIII. Ianuarii; sed haec Virgo Africana, quae floruit sub Theodosio M. usque ad Leonem, & Zenonem Augg., a nostra differt. Vualafridi Strabonis (4) sententiam, a Domino, cui cultus in illa aede redditur, nomen repetentem, quia omnibus aedibus sacris communem, ac ceteras etiam huic quidem non absimiles sententias haud morabimur. Ecclesia haec a Paschale I. a fundamentis ampliata, & renovata fuit, cuius exstat vermiculata absis a duabus porphyreticis columnis sustentata (5); quibus accedunt XVIII. insuper ex Graeco marmore, nigro, & viridi, columnae aliae nihilo inferiores. Sanctae Balbinae corpus ibidem reconditur, atque heic Sixtum I. per Levitam Laurentium ecclesiae thesauros pauperibus distribui mandasse, sunt qui tradant. Vetustissima quidem haberi debet haec Ecclesia, cuius mentio est in veteri *Descriptione Regionum Urbis*, edita a Mabillonio (6), ubi agens *de septem viis usque porta Asinaria*, statim subditur *Sancta Maria Dominica*. Ad saeculum saltem XI. pertinere videtur *Archipresbyter Benedictus Diaconus Sanctae Mariae*, *quae Domnica* dicitur, cu-

(1) *Roma sotterranea* Tom. II. Tav. CXXX. pag. 178.
(2) *Act. Sanct. Ianuar.* pag. 483.
(3) *Vid.* Franc. Victorii *Dissert. Philolog.* pag. 31.
(4) *De rebus ecclesiastic.* Cap. VII.
(5) Vid. Floravantem Martinellium *Roma ex ethnica sacra* pag. 214.
(6) *Vetera Analecta* pag. 365. secund. edit. Paris. 1725.

cuius monumentum in Divi Stephani in Monte ſitum, & a Donio [1] adductum heic ſiſtimus:

HIC . REQVIESCIT . CORPVS . DEVOTVS . XPI ꝯ
FAMVLVS . ARCHIPBR . BENEDICTVS . DIAC. SCI . MA
RIE . QA . DOMICA . Q. OMS . Q. AD . HANC . BASILICA . IN
GREDITIS . DIGNEMINI . ORARE . PRO . ME . PECCA*
TORE . AC . P. XPI . NOMEN . OMS . CONIVRANS . VT
NVLLVS . HOC . TVMVLO . VIOLARE . AVDEAT . ʒ SI . QVIS ꝯ
AVTEM . VIOLARE : P : SVPSERIT : ∠A . PATRE . ET . FILIO . E . SPS
SCI . ANATHEMATE . IM . P . . P . DANATVS . EXISTAT

Certe quidem, ut innumeris exemplis oſtendi poſſet, ab VIII. uſque ſaeculo ad XI. uſus obtinuit has malas precationes, a Chriſtiana pietate, & manſuetudine alienas, & a ſola temporum barbarie, & inſcitia quoquomodo excuſatas adhibere [2]; quidquid contra Reineſium [3] Fabrettius [4] reponat. Cum Benedictus dicatur Diaconus huius Eccleſiae, apparet nondum ad Archidiaconum pertinuiſſe, ut dein factum videbimus. Iam in noſtra Diſſertatione in tit. Canonicum *de officio Archidiaconi* [5] adduximus Chartam anecdotam anni DCCCCLXXXII., in qua memoratum cernimus *Iohannem Archidiaconum ſummae Sanctae Apoſtolicae Sedis, & praepoſitum venerabili Diaconiae Sanctae Dei Genitricis Mariae, quae appellatur Noba*; in cuius nimirum Archivo haec ipſa Charta ſervatur. Quare arguere licet, poſteriori tempore hoc factum eſſe; nec ſane documenta, quae id adſtruant, occurrunt ſaeculo XII. maiora. Commode in Chronico Ricardi Cluniacenſis, quod ab anno Chriſti DCCC. uſque ad annum MCLXII. pertingit, quodque

(1) *Inſcrip. antiq.* Claſſ. XX. n. 71. pag. 539. ex ſchedis Nic. Alemanni.

(2) Vid. Hieron. Fabrium *Ravenna antiqua*, pag. 116., Mabillonium *de re Diplomat.* Lib. II. Cap. VIII. §. XVII. pag. 101., Arringhium *Rom. ſubterran.* Lib. IV. Cap. XXVII., alioſque.

(3) *Syntag. veter. Inſcript.* Claſſ. XX. n. 440.

(4) *Inſcript.* Cap. II. pag. 110.

(5) *Diſſertazione Canonico-Filologica ſopra il titolo delle Iſtituzioni Canoniche de Officio Archidiaconi, recitata dall' Abate Giovanni Criſtofano Amaduzzi la ſera de'* 17. *d'Agoſto dell'anno* 1767. *in Roma nell' Accademia dell' Emin., e Rev. Sig. Cardinale Gaetano Fantuzzi &c.* adnot. 3. pag. 37. Tom. XVII. *Nova Raccolta d'Opuſcoli ſcientifici, e filologici. In Venezia* 1768.

que a Muratorio relatum eſt (1), recenſentur *Diaconiae* Cardinalium S.R.E. *decem*, *& octo*, quarum princeps *Sanctae Mariae in Domnica*, *ubi eſt Archidiaconus*. Huic accedit teſtimonium Petri Manlii apud Mabillonium (2), ubi legitur: *S. Maria in Domnica*, *ubi debet eſſe Archidiaconus*; & Leonis Urbevetani apud Cl. Ioh. Lamium (3), ubi haec habentur: *S. Maria in Domnica*, *& ipſe eſt Archidiaconus aliorum*; quorum primus ad ſaeculum XII., alter ad XIV. pertinet. At vero hanc Eccleſiam haud Cardinali Archidiacono adſignatam, niſi labente ipſo ſaeculo XII., credere licet, cum certum ſit, triginta, vel viginti ad ſummum annos ante eius exitum ipſam Diaconum, non Archidiaconum obtinuiſſe. Docet id Bulla Innocentii II. anni MCXLII. apud Harduinium (4), cui ſubſcripſit *Gerardus Diaconus Card. S. Mariae in Dominica*. Id etiam adſtrueret *D. Iacobus tit. S. Mariae in Navicella*, qui a Bollandiſtis (5) recenſetur ex Marcheſio inter eos Cardinales, qui interfuerunt canonizationi S. Brunonis Epiſcopi Signini, quam Signiae anno MCLXXXI. peregit Lucius III. Summus Pontifex, niſi critices regulae obſiſterent. Bollandiſtae ipſi hanc Cardinalium recenſionem aſſumentum iudicarunt, & iure merito; neque enim ſi ſincera ſubnotatio fuiſſet, Eccleſia ipſa titulus dicta eſſet, quo vocabulo numquam Diaconias appellatas aut antiquitus, aut recenter inveniemus. Quo tempore vero haec eſſe deſierit iuris Archidiaconi Cardinalis, incertum; veroſimile tamen eſt, id accidiſſe, cum, translata Avenionem Apoſtolica Sede, Romanae dignitates mutationem aliquam ſubierunt, & Gallicos mores induerunt, & ipſa Archidiaconi iuriſdictio, & munus magna ex parte ad Camerarium delata eſt. Honorii III. aetate Eccleſiam hanc pertinuiſſe ad Ec-

(1) *Antiq. med. aevi* Tom. IV. col. 1113.
(2) *Ord. Roman.* XII. n. II. pag. 567.
(3) *Delic. erudit.* Tom. II. pag. 28.
(4) *Concil.* Tom. VI. Par. II. col. 1170.
(5) In Comment. praevio ad Acta S. Brunonis Epiſc. Signini die XVIII. Iulii num. 24.

Ecclesiam alteram S. Thomae, & S. Michaelis Archangeli de de Formis (de qua mox dicemus), innuit laudati Pontificis Bulla anni MCCXVII., qua inter ceteras possessiones, quas eidem confirmat, refert *absidam, & inclaustrum Ecclesiae B. Mariae in Donnica* (1) . Parochialem vero curam eidem adnexam etiam fuisse, docent Litterae Apostolicae Sixti IV. (2) , quibus Apollonius de Valentinis & Canonicatibus Lateranensis Ecclesiae, & S. Mariae in Via lata, & Parochia S. Mariae Navicellae interdicitur. Honor, quo, Archidiaconali dignitate deleta, Ecclesia haec decidit, integratus quodammodo visus est, cum Card. Iohannes Mediceus Pontifex Max. Leonis X. nomine renunciatus est. Ipse enim instaurari illam iussit, atque ut id pro dignitate fieret, Raphaelis Sanctii opera usus est quoad Architectonicae artis concinnitatem, Iulium vero Romanum, & Perinum Bonacursium Vagae discipulum pro picturae ornamento adhibuit. Tum eadem obtigit Card. Iulio Mediceo, Leonis X. patrueli, Archiepiscopo Florentino, & S. R. E. Vice-Cancellario, qui postea fuit Clemens VII., licet & Ecclesiam S. Clementis, & alteram S. Laurentii in Damaso dein sibi adsciverit. Eadem Diaconia potitus est postea Iohannes Mediceus Cosmi I. Magni Florentiae Ducis filius, qui a Pio IV. Cardinalis est renunciatus, & cuius exstant tres epistolae de ipsius Ecclesiae cultu, & famulatu (3) , quem apprime

(1) *Collect. Bullar. Sacrosanctae Basilicae Vaticanae &c.* Romae 1747. Tom. I. pag. 100.

(2) Ex Tom. 96. Regest. Brev. Sixti IV. pag. 74. in Archivo secr. Vaticano.

(3) *Lettere del Card. Gio. de' Medici figlio di Cosimo I. Gran Duca di Toscana, estratte da un ms. Roma* 1752. Lib. III. pag. 505. Lettera scritta dal Poggio 25. Settemb. 1561. al Podestà di Grosseto, a cui dice di voler parlare a M. Porzio Fanuzio Canonico della Navicella, che capitava colì, o a Monte Fano. Ivi pag. 506. Lettera scritta dal Poggio 26. Settemb. 1561. al Vescovo Cesarino, a cui dice, che manda D. Gio. suo famigliare, *perchè riseda in la Chiesa della Navicella a uffiziare, & di più, perchè fatto veder le cose, che di presente occorrono farsi per riparazioni di quel luogo, me lo avvisi particolarmente, acciò si possa dar opportuno riparo &c. Ho mandato per quel medesimo Porzio Fanuzio per aver da lui informazione di quel, che sarà a sua notizia delle cose di quella Chiesa*. Ivi pag. 507. Lettera scritta dal Poggio a dì detto al Babbi in Roma: *Noi mandiamo il presente D. Gio. nostro famigliare, perchè riseda a uffiziare nella Chiesa della Navicella, non volendo noi stia senza un Cappellano, sino a tanto, che si verranno ritrovando, e riordinando*

me curaſſe conſtat. Huic vita functo in eamdem ſucceſſit Cardinalis Ferdinandus Mediceus, marmoribuſque ornavit, ac refecit, antequam ampliſſima dignitate abdicaret, & Magni Ducis Etruriae, denato Franciſco eius fratre, inſignia reciperet. Habuit & Card. Carolus Mediceus, cuius memoria marmorea ibidem cernitur ſupra ſacrarii portam. Tandem initio huius ſaeculi tenuit etiam ex eadem regia domo Card. Franciſcus M., de quo nihil eſt aliud, quod moneamus. Presbyterum Beneficiatum, qui Eccleſiae inſerviret, ſacrumque faceret diebus feſtis, Paullus V. inſtituit (1), idque muneris primus obivit Vir Cl. Leo Allatius, antequam ad maiora ſibi viam faceret in Urbe officia. Ex Diaconia in titulum presbyteralem convertit Benedictus XIII (2); ac tandem Monachis Graeco-Melchitis Congregationis S. Ioh. Baptiſtae in Soairo Ordinis S. Baſilii Magni, poſtulante Sacra Congregatione de Propaganda Fide, Templum cuſtodiendum, & aedes incolendas Benedictus XIV. conceſſit.

VIII. Huic proxime ſuccedit Templum S. Thomae in Caelio, quod & S. Thomae, & S. Michaelis in Formis dictum eſt, cuique hoſpitale adnexum erat. Ductus aquae Claudiae, qui eidem adhaerebant, nomen *de Formis* induxerunt (3). Eccleſia haec fuit olim Abbatia in Urbe non ignobilis; cum eius Antiſtes, teſte Panvinio (4), inter viginti Abbates, qui Romano Pontifici celebranti adeſſe conſueverant, decimus tertius accenſeretur. Eamdem poſtea Innocentius III. conceſſit Fratribus Ordinis Sanctiſs. Trinitatis Redemptionis captivorum, quam proinde, dum vixit, incolatu, corporis vero exuviis poſt obitum inſignivit S. Iohannes de Matha, licet

do le altre coſe. Vedrete, che abbia qualche poco di ſtanza, ſe ve n'è alcuna pertinente alla Chieſa, che ci pare impoſſibile, che non ve ne ſia.

(1) Vid. Martinellium loc. cit. pag. 215.

(2) Vid. Equitem Hieronymum Lunadorium *Stato preſente, o ſia relazione della Corte di Roma &c. In Roma* 1765. Tom. I. Cap. I. pag. 8.

(3) *Fabrett. de aquis, & aquaeduct.* Differt. II.

(4) *Lib. de VII. Vrbis Eccleſ.* pag. 142.

licet dein in Hispanias translatae fuerint. Interea Honorius III. Bullam emisit (1), qua Ordinem praedictum commendat, Ecclasiam eidem concessam sub Apostolicae Sedis tutela suscipit, privilegiis ornat, sacras aedes, ac bona quamplurima eidem subdita recenset, & confirmat. Quare ibidem memorat *formam*, scilicet aquae Claudiae ductum, *super dicta Ecclesia S. Thomae cum aedificiis, cimiterio, crucibus, & aliis pertinentiis suis: montem cum formis, & aliis aedificiis positum inter clausuram Clodei* (Castellum nempe aquae Claudiae, quod forma quadratum, & magna ex parte integrum Fabricius (2) vidit), *& inter duas vias, unam videlicet, qua a praedicta Ecclesia S. Thomae itur ad Coliseum, & aliam, qua itur ad SS. Iohannem, & Paulum &c.* Exstat adhuc supra fores hospitalis, sive coenobii sigillum ex musivo Ordinis, quem diximus, Redemptionis captivorum, & arcui marmoreo forium haec inscripta leguntur:

MAGISTER . IACOBVS . CVM . FILIO . SVO . COSMATO . FECIT . HOC . OPVS

Dein Poncellio Ursinio Cardinali commendatam Ecclesiam ipsam fuisse insuper patet, donec Urbano VI. iubente anno MCCCLXXXVII. mensae capitulari Vaticanae Basilicae adnexa fuit, ipsaque unio ex Bonifacii IX. Diplomate dat. V. Idus Novembris confirmata est. Ceteras Apostolicas Bullas Iohannis XXI., sive XXII. (3), Bonifacii IX. (4), & Eugenii IV. (5) iam editas in Bullario Vaticano, & ad hanc Ecclesiam pertinentes sciens praetereo.

IX. Descripsimus locum, quem tenent nunc Horti Matthaeiani, tum edificia & vetera, & subsequentia, quae ipsis obiacent. Restat modo, ut de eorum auctore, forma, & praestantia dicamus. Ii siquidem auctorem habent nobilissimum, & ma-

(1) Ann. 1217. Vid. *Collect. Bullar. Sacrosanct. Basil. Vatic. &c. Romae* 1747. Tom. I. pag. 106.
(2) *Descript. Urb. Romae* cap. 17.
(3) Cit. *Collect. Bullar. Basil. Vatic.* Tom. I. p. 285.
(4) Ibid. Tom. II. pag. 31.
(5) Ibid. Tom. II. pag. 89.

& magnificentiſſimum Virum Cyriacum Matthaeium, Alexandri filium, Cyriaci nepotem, qui ſane avitam gentis ſuae amplitudinem hoc opere explicandam ſuſcepiſſe viſus eſt. Non noſtrum heic eſt, Matthaeiae gentis originem a Papareſchia, quae genuit Gregorium, poſtea Innocentium II., deducere, quod viſum inprimis eſt Onuphrio Panvinio (1), Alberto Caſſio (2), Felici M. Nerino (3), aliiſque; non enim id ipſius vel vetuſtati, vel nobilitati acceſſionis plurimum faceret. Monumentum ſiquidem ſaeculi XIII., quod continet Senatus conſultum habitum in Templo S. Mariae de Capitolio, quodque ex apographo Peruſino edidit Cl. Praeſul Ioſephus Garampius nunc apud Aulam Vindobonenſem Apoſtolicus Nuntius meritiſſimus (4), gentis huius praeſtantiam ſatis prodit, cum inter ceteros nobiles Romanos viros recenſeatur etiam ibidem *Iohannes Matthaei*, quem Garampius ipſe noſtris adſcribere non dubitat (5). Ceteros ex hac gente illuſtres viros recenſere quinetiam non iuvat, quorum monumenta praeſertim conſulere facile quiſque poſſit apud Caſimirum Romanum, Franciſcanae familiae Alumnum, ubi de Templo Aracaelitano (6). Quare circa annum MDLXXXI. Villae huius conſtructionem aggreſſus eſt Cyriacus noſter, & ad annum MDLXXXVI. perfecit, ut docent monumenta, quae ibidem marmore inſculpenda curavit, quaeque nemo adhuc edidit. Siquidem ſupra portam Villae parte interiori haec leguntur:

CY-

(1) Cod. Mſ. *de Gente Matthaeia* in Bibliotheca Frangipania.

(2) *Memorie iſtoriche della vita di S. Silvia &c.* Cap. XIII. §. I. pag. 89.

(3) *De templo, & coenobio SS. Bonifacii, & Alexii hiſtorica monumenta* in Append. n. VIII. pag. 394. adnot. 34.

(4) *Memorie eccleſiaſtiche appartenenti all' iſtoria, e al culto della B. Chiara di Rimino &c. In Roma* 1755. Diſſert. VIII. pag. 244., e ſegg.

(5) Vid. Indicem voc. *Mattei* pag. 525.

(6) *Memorie iſtoriche della chieſa, e convento di S. Maria in Araceli di Roma &c. In Roma* 1736. Cap. IV. pag. 29., Cap. V. pag. 43., 44., 71., & 72., e Cap. XVII. pag. 451.

CYRIACVS . MATTHAEIVS . HORTOS
GENTILICIOS . CVLTV . AEDIFICIO
VETERVM . SIGNORVM . COPIA
INLVSTRIORES . ET . AMOENIORES
REDDIDIT
A. S. M. D. LXXXI

Tum inferne:

CYRIACVS . MATTHAEIVS
HORTOS . CAELIMONTANOS
A . IACOBO . MATTHAEIO . SOCERO . SVO
SIBI . POSTERISQ. SVIS . DONO . DATOS . MVLTIS . ORNAMENTIS
MAGNIFICENTIVS . EXCVLTOS . SVAE . ET . AMICORVM
OBLECTATIONI . DICAVIT
M. D. LXXXVI

Quae ille praeſtiterit, ut ampliſſimos undequaque Hortos hoſce efficeret, prodit etiam epigraphe, quam affixit parieti Aedium ad meridiem, quae ita ſe habet:

CYRIACVS . MATTHAEIVS
ALEX. F. CYRIACI . NEP
HORTOS . CAELIOS
GENTILICIOS . POMARIIS
AVIARIIS . NEMORIBVS
OBELISCO . AEDIFICIIS
IAM . INSTRVCTOS
AD . MAIOREM . POSTEROR
SVORVM . AMICORVMQ
OBLECTATIONEM
VETERIBVS
ETIAM . SIGNIS
EXORNAVIT

Huic etiam inſcriptioni conſona eſt altera, quam edidit Petrus Leo Caſella (1), quae forte Hortorum domini, & conditoris ſuffragium non tulit, cum nullibi ipſam inſculptam viderim. En ipſam:

CY-

(1) *Elogia illuſtrium Artificum, Epigrammata, & Inſcriptiones*, poſt Librum *de primis Italiae colonis, de Tuſcorum origine, & Republica Florentina*, pag. 186. edit. Lugdun. 1606.

CYRIACVS . MATTHAEIVS . ALEXANDRI . F
CYRIACI . N
GENIO . CAELIMONTANAE . SALVBRIORIS . AMOENITATIS
HORTOS . GENTILICIOS . SIBI . ET . SVIS . AEDIBVS . ET
AQVIS . IRRIGVIS . EXCOLVIT . FONTANIS . EXHILARAVIT
QVAE . PRO . GRADVVM . CORONA . EX . EPISTYLIIS . ALTE
SVBSILIENTES . FLORVM . IN . CIRCIS . FLORVM
LVDVNT . LVDICRA
TVM . ET . AREAM . ET . AREOLAS
TOPIARIIS . SEPSIT . POMARIIS
VALLAVIT
AMBITVM . MVRO . CINXIT
VETVSTEIS . MONVMEN
TEIS . SIGNIS . DISPOSITIS
ET . MVNIFICENTISSIMA . S. P. Q. R
INDVLGENTIA
OBELISCO . EXORNAVIT

X. Quare Hortos noſtros vel hiſce inſcriptionibus ita iam amplos, excultos, elegantes, & locupletes deſcriptos habes, ut vix nobis, quae inſuper adnotentur, relinquantur. Innuemus tamen, Aedes, quae in medio Hortorum adſurgunt, ex Iacobi Ducae architectura conditas fuiſſe, quarum veſtibulum porticu ornatur, columnis, ſignis, ac protomis inſignita; quemadmodum aula, & cetera, quae ſequuntur, cubicula undique & ſignis, & protomis, & columnis, & anaglyphis, & cippis, & aliis rariſſimis cimeliis, inter quae menſa ex viridi porphyretico marmore, mirum in modum praecellunt. Porticum enim in primis ornant Statuae ex alabaſtro Pomonae, & Midae Phrygiae Regis, aliaeque Bacchi, Faunorum, & Caracallae. Tum aula diſtinguebatur praeſertim Simulacro coloſſeo M. Aurelii Antonini, & Statua equeſtri L. Aurelii Commodi, qui Antoninus alter, vel Hadrianus antea cenſebatur, quae dein in Muſeum Clementinum Vaticanum translata eſt. In adiacentibus cubiculis recondebatur

batur inter cetera caput Ciceronis, quod nunc in Aedibus ad Circum Flaminium, caput alterum Iovis Serapidis ex basalte, tum caput Plotinae Traiani uxoris, & Signa Dianae, & Herculis, Graeci sculptoris opera, aliaque, quae iam Vaticano Museo, ut infra dicemus, insuper accesserunt, Fauni cum utre iacentis, & alterius a Satyri pede spinam extrahentis, ac tandem Statua Amicitiae, opus Petri Paulli Oliverii, quam Cyriaco Matthaeio dono dederat Virginius Ursinius, ut patet ex epigraphe, quam exhibet lamella aenea ibidem apposita:

VIRGINIVS . VRSINIVS
CYRIACO . MATTHAEIO
AMICITIAE . MONVMENTVM
STATVERE
ILLVSTRIVS . ME . IPSA . AMICITIA
NON . POTVIT
MDCV

Aditus ex foribus Hortorum recta ad Aedes ducit per ambulacrum, utraque parte ornatum urnulis sepulcralibus elegantissimis, ut nusquam tot ullibi se vidisse affirmaverit Montfauconius (1). Aedium vero externus paries meridionalis multis etiam distinguitur Signis, ac praesertim Impp. Iulii Caesaris, Octaviani Aug., Cl. Domitii Neronis sacrificantis habitu, Liviae Aug. Coniugis, tum etiam Cereris, ac Bacchantum. In medio autem pariete tollitur stemma Matthaeiae gentis, pileo ornatum, cui haec subscribuntur:

HIERONYMO . CARD
MATTHAEIO

Hic enim fuit Card. tituli S. Pancratii, Cyriaci, & Asdrubalis frater, cui iidem titulum etiam posuerunt in Templo Aracaelitano (2). Area dein panditur, in qua celebris Urna IX. Mu-

(1) *Diar. Italic.* Cap. X. pag. 148.

(2) Vid. *Memorie istoriche della chiesa, e convento di S. Maria in Araceli di Roma raccolte dal P. F. Casimiro Romano &c.* Cap. V. pag. 72. Vid. aliud monumentum ibid. Cap. XVII. pag. 451.

Musarum prostat, & in cuius medio cernitur Obeliscus Aegyptius variis inscriptus hieroglyphicis litteris, quas haud moramur, cum neque Hermapionis personam geramus, qui Obeliscorum inscriptiones olim interpretatus Augustum decepit; neque etiam Kircherium imitari lubeat, qui eamdem provinciam ornans decepit se ipsum. Ceterum Marchio Scipio Maffeius (1) in ea fuit sententia, ut putaret, sculpturas Obeliscorum nullam scripturam praeseferre, notasque illas nullius generis esse litteras. Quare id dumtaxat innuemus, Matthaeianum Obeliscum altum esse XXXVI. palmos, latum vero ad basim palmos IV. Caret vero litteris, sive notis X. a basi palmis, sive quod ille data opera sectus fuerit, sive igne casu consumptus. Verumtamen novem primae, quae in cuspide conspicuae sunt notae ad quatuor singula latera, omnino conveniunt cum iis, quas exhibet Obeliscus, olim spinae impositus Circi Florae in vico Patricio inter Viminalem collem, & Exquilias, nunc in Hortis Mediceis erectus. Noster vero exstabat olim ante fores minores Templi Aracaelitani, e quibus in plateam Capitolinam descendebatur, sive in eius Caemeterio, ut placet Boissardio (2), in cuius base, teste Iacobo Mazochio (3), haec legebatur inscriptio, quam Gruterius (4) ipse adducit:

DEO . CAVTE
FLAVIVS . ANTISTIANVS
V. E . DE . DECEM . PRIMIS
PATER . PATRVM

Tandem petenti Cyriaco Matthaeio ex Senatus consulto a. d. III. Idus Septembris anni MDLXXXII. concessus est Obeliscus, quem suis in Hortis collocavit, ac dein duplex monumentum in eius ba-

(1) *Art. crit. lapid.* Lib. I. col. 3.
(2) *Topograph. Vrb. Romae* Tom. I. pag. 24.
(3) *Epigramm. Vrb.* pag. 21. a ter.
(4) *Inscript.* pag. 99. n. 4.

baſe inſcripſit, quo ſuum gratum animum Populo Romano largitori teſtaretur. Primum, quod meridiem reſpicit, hoc eſt:

CYRIACVS . MATTHAEIVS
OBELISCVM . HVNC . A . POPVLO
ROMANO . SIBI . DATVM . A
CAPITOLIO . IN . HORTOS
SVOS . CAELIMONTANOS
TRANSTVLIT . VT . PVBLICAE
ERGA . SE . BENEVOLENTIAE
MONVMENTVM . EXSTARET
ANNO . M . D . LXXXII

Alterum vero boream verſus ita ſe habet:

S . P . Q . R
CYRIACO . MATTHAEIO
OBELISCVM . HVNC . SVMMO
CONSENSV . DARI . DECREVIT
VT . HORTORVM . EIVS
PVLCHRITVDO . PVBLICO
ETIAM . ORNAMENTO
AVGERETVR

Huius Obeliſci typum non dedimus, quod aere inciſus olim non fuerit, neque id nunc Librario luberet, neque nos etiam apprime neceſſarium cenſeremus. Si quis velit eumdem conſulere, facile comperiet apud Montfauconium (1), Iohannem Barbaultium (2), ac Bonaventuram, & Michaelem Overbekeios (3). Ipſum etiam deſcripſerunt, ac laudarunt Scottius (4), Ca-

(1) *Antiq. explic.* Tom. II. Par. II. Lib. II. Cap. VII. Tab. CXLIII. n. 5. pag. 352.

(2) *Les plus beaux Monuments de Rome ancienne, ou Recueil des plus beaux morceaux de l'antiquité Romaine qui exiſtent encore, deſſinès par Monſieur Barbault Peintre ancien Penſionaire du Roy à Rome, & gravé en* 128. *planches avec leur explication; fol. max. à Rome chez Bouchard de l'imprimerie de* Komarek 1761. Pl. 30. n. 1. p. 47.

(3) *Les reſtes de l'ancienne Rome recherchez &c. & gravez par feu Bonaventure d'Overbeke &c., imprimés aux dépens de Michel d'Overbeke. A la Haye chez Pierre Goſſe* 1763. Tom. II. Pl. 14. pag. 21. Vide etim *Degli avanzi dell'antica Roma, opera poſtuma di Bonaventura Overbeke Pittore Ingleſe &c., accreſciuta da Paolo Rolli Patrizio Todino. In Londra* 1739. §. LVIII. pag. 177.

(4) *Itiner. Ital.* Lib. II. Cap. VII. pag. 401.

Casimirus Romanus (1), Marangonius, qui singulos etiam Romanos Obeliscos enumerat (2), tum Ficoronius, Venutius, Titius, ceterique, qui Romanas antiquitates, & magnificentias describendas sumpserunt. Restat nunc caput colossale Alexandri Magni, quod plateam hanc ornat parte meridionali, quoque nullum in Urbe maius. Siquidem a mento ad radicem capillorum mensura est sex pedum parisiorum, totum vero caput octo pedum, ut proinde sexagintaquatuor pedibus constaret eius Statua, si integra superesset. Sane caput marmoreum Domitiani in impluvio Aedium Capitolinarum est quinque pedum, ac proinde integra Statua quadraginta dumtaxat pedum fuisset; nec aliter suadent pes, & alia membrorum frusta, quae ibidem exstant. Tum in Villa Ludovisia est caput colossale quatuor circiter pedum; & in Iustinianea extra Portam Flaminiam habebatur olim colossus Iustiniani Imp., nec desunt in aliis villis, ac aedibus Romae Statuae aliae proceritate vulgari duplo, aut triplo maiores. Caput vero nostrum, quod Alexandro M. tribuitur, quodque nos suo loco (3) illustravimus, ex Aventini ruinis erutum fuit, ut prodit inscriptio, quae ibidem legitur:

CYRIACVS . MATTHAEIVS
ALEXANDRI . MAGNI . CAPVT . EX . AVENTINI
RVINIS . EFFOSSVM . INIVRIA . TEMPORVM
NONNIHIL . CORRVPTVM . ANTIQVAE
FORMAE . ET . NITORI . RESTITVIT
VETVSTATIS . AMATORIBVS
SPECTANDVM . PROPOSVIT

Ipsum vero accurate descripsit Montfauconius (4), ast ad quem pertineat, incertum esse asseruit. Hinc Ficoronius (5) mul-

(1) Cit. *Memor. istoriche della chiesa, e convento di S. Maria in Araceli &c.* Cap. V. §. V. pag. 71.

(2) *Delle cose gentilesche, e profane trasportate ad uso, ed ornamento delle Chiese*, dalla pag. 359. fino alla pag. 365.

(3) Tom. II. Class. II. Tab. VII. pag. 9.

(4) *Diar. Ital.* Cap. X. pag. 148.

(5) *Osservazioni contro il Diario del P. Montfaucon* pag. 31.

multas eidem gemmas, & numifmata obiecit, quibus ex formae fimilitudine fidem huic etiam monumento conciliaret. Sed contra repofuit Romualdus Riccobaldius (1), qui Plutarchi (2) teftimonium urgens, incertam Alexandri M. effigiem etiam tunc temporis exftitiffe contendit, ac magis dubiam factam fuiffe deinceps, cum Caracallam lubido inceffit adfcribendi fibi Alexandri nomen, praecipiendique quinetiam, ut ipfius vultum quifque fibi pararet, fervaretque.

XI. Praeftat vero haec leviter attingere, ut ceteras Hortorum Matthaeiorum partes perluftrando defcribamus. Areola hinc occurrit, cui ab amoeno afpectu (3) quaefitum nomen eft, & ex qua moenia ab Aureliano producta ufque ad Portam Capenam, & Latinam, & Thermarum Antoninianarum ingentia rudera intueri praefertim licet. Statuae, & infcriptiones heic ordine difpofitae habebantur, quarum priores referebant Apollinem Citharoedum, Martem, Mercurium, Dianam, Herculem, Poetam cum cycno, Feminam velatam cum puero, Gladiatorem, & Pudicitiam. Ambulacris hinc inde recurrentibus ad oppofitam partem area altera occurrit, in qua praefertim Hermae confpiciuntur, quibus Platonem, Heraclitum, Ariftotelem, Ifocratem, Epicurum, Diogenem, Ariftomachum, Pindarum, Anacreontem, Euripidem, Ariftophanem, Hefiodum, Apollonium Tyanaeum, Pofidonium, Apuleium, L. Iunium Rufticum, Archimedem, aliofque referre vulgo cenfetur. Quid iuvat conclavia, quae fex praefertim numerantur, nemora, topiaria, aliaque loculamenta fingillatim defcribere, eaque fignis, anaglyphis, aliifque monumentis fere undique diftincta? Labyrinthum tamen innuemus, licet vix nunc inveftigandum, e cuius regione affurgit pro-

(1) *Apologia del Diario Juddetto* Cap.LX.pag.48.
(2) *In vita Alexand. M.*
(3) *Belvedere* vulgo audit.

procera columna porphyretica viridis coloris, quae ob minutiſſimas, ex quibus coaleſcit, materiae partes ſingularis merito cenſetur. Nec aliae deſunt hinc, & illinc diſperſae columnae, quarum pleraeque multi aeſtimandae ſunt, quaeque XXVII. ſummatim numerantur. Noſtrum vero non eſt fontes, pomaria, viridaria, ceteraſque Hortorum partes villicis commendatas deſcriptione proſequi. Innuemus tamen ſub Aedibus haberi hortulum malis aureis conſitum, ac ſupra eius oſtium hoc diſtichon legi:

HAVRI . OCVLIS . ET . NARE . LICET . TIBI . VIVA . VOLVPTAS
HIC . ALITVR . TANTVM . CARPERE . PARCE . MANV

Plures ſunt in Hortos ingreſſus; ſed duo inſigniores, quorum unum, idque princeps, prope Templum S. Mariae in Domnica; alterum vero ad Curiam Hoſtiliam, qui conditoris nomen gerit, cum longa linea inſcriptum habeatur:

HIER. MATTHAEIVS . DVX . IOVII . AN. IVBILAEI . MDCL

XII. Habes, quae fuerit Hortorum Matthaeiorum amplitudo, amoenitas, & praeſtantia. Hinc nil mirum, ſi advenas omnes in ſui admirationem rapuerint, tum cives ad ſe ipſos ſive deſcribendos, ſive illuſtrandos invitaverint. Quare Scottius (1), Mabillonius (2), Montfauconius (3), Addiſonius (4), Richardius (5), aliique inter exteros tum ipſos expenderunt, tum in ſuis hodoeporicis praeſtantiores eorumdem partes deſcribere ſatagerunt. Inter noſtros vero illos potiſſimum quoquo modo illuſtrarunt Pinarolius (6), Ficoronius (7), Ve-

(1) *Itin. Ital.* Lib. II. Cap. VII. pag. 401.

(2) *Itin. Ital.* pag. 88.

(3) *Diar. Ital.* Cap. X. pag. 148.

(4) *The Works of the right honourable Ioſeph Addiſon Eſq., Beingh remarks on ſeveral parts of Italy &c. in the Years* 1701., 1702., 1703. *Dublin* 1735. Vol. III. pag. 163.

(5) *Deſcription hiſtorique, & critique de l'Italie; a Dijon* 1766. Tom. VI. Par. II. Cap. 17. pag. 169.

(6) *Trattato delle coſe più memorabili di Roma; opera di Gio. P. Pinaroli; Roma* 1725. Tom. II. pag. 274., e ſegg.

(7) *Le veſtigia, e rarità di Roma antica; Roma* 1744. Lib. I. Cap. XIV. pag. 90., e Lib. II. *Le ſingolarità di Roma moderna* Cap. VIII. pag. 68.

Venutius (1), Vaſius (2), & Titius (3): Celebrarunt vero inter Poetas Aurelius Urſius Romanus (4), & Ludovicus Leporeus (5). Tum monumenta ipſa, quae in illis adſervantur, nacta ſunt qui & typis expreſſerint, & explanaverint, ut ſuo loco monuimus. Si Signa ſpectes, eorum praeſtantiora adducta habes a Paullo Alexandro Maffeio, & Bernardo Montfauconio. Si Anaglypha, eorum pleraque edita videre licet apud Sponium, Bellorium, & ipſum Montfauconium. Si Inſcriptiones, noſtris pleni ſunt celebres theſauri, ſive collectiones iam editae ab Apiano, Mazochio, Smetio, Urſinio, Gruterio, Reineſio, Sponio, Malvaſia, Gudio, Donio, Fabrettio, Muratorio, Maffeio, Donatio, aliiſque. At, quae ſane eſt rerum humanarum infelix conditio, ita paucis ab heinc annis immutata eſt Hortorum noſtrorum facies, ut qui eos intueatur praeſtantioribus monumentis ſpoliatos, atque undique collabentes, dicere ſimiliter poſſit: *Iam ſeges eſt, ubi Troia fuit*. Sane nonnullas marmoreas Inſcriptiones in Caeliis Hortis exſtantes conceſſerat iam Alexander Matthaeius Iovii Dux Cl. Praeſuli Raphaeli Fabrettio, ut ipſe grati animi cauſſa ſaepe commemorat, in ſua domeſticarum Inſcriptionum ſylloge, & nos quinetiam ſuis locis advertimus. Tum ex iis profectum eſt in Muſeum Capitolinum, poſtulante Benedicto XIV. Pontifice Max., marmor Aebutianum, iam a nobis adductum (6), & antiqui Romani pedis, aliorumque Architecto-

(1) *Accurata, e ſuccinta deſcrizione topografica, e iſtorica di Roma moderna, opera poſtuma di Ridolfino Venuti &c. Roma* 1766. *preſſo Carlo Barbiellini* Tom. I. pag. 4.

(2) *Itinerario iſtruttivo diviſo in otto ſtazioni, o giornate per ritrovare con facilità tutte le antiche, e moderne magnificenze di Roma, di Giuſeppe Vaſi; In Roma* 1763. n.58. pag.62.

(3) *Deſcrizione delle pitture, ſculture, e architetture eſpoſte al pubblico in Roma, opera cominciata dall' Abate Filippo Titi da Città di Caſtello, con l'aggiunta di quanto è ſtato fatto di nuovo fino all'anno preſente. In Roma* 1763. pag. 208., e 473.

(4) *Carminum* Lib. III. *Epigr.* 32. pag. 74. edit. Parmen., & Bonon., ubi haec habentur:

In Hortos Matthaeiorum:

Romae ſepultae hinc intueri imaginem,
Arcus, theatra, & imperii vires licet,
Urbis, & Orbis lumina, & miracula.

(5) *Poeſie; In Roma* 1682. pag. 88. Sonetto.

(6) Tom. III. Claſſ. X. Sect. VI. n. 9. Tab. LXII. Fig. I. pag. 118.

ctonicae artis inſtrumentorum forma inſculptum; cuius rei memoria exſtat in titulo marmoreo, qui ibidem appoſitus eſt (1). Sed noſtra aetate maximum paſſi ſunt detrimentum, cum novi Vaticani Muſei condendi neceſſitatem peperit erumpens quotidie veterum monumentorum copia, & eorumdem aſportationis impediendae providentia. Poſtquam igitur Sanctiſſimus, ac ſapientiſſimus Pontifex Clemens XIV., quem utpote primum litterariae meae fortunae parentem, & publicae tranquillitatis, qua fruimur, fundatorem ſemper grato animi ſenſu, & laudum praeconiis proſequar, Ambulacrum Vaticani Palatii, quo iter eſt ad Bibliothecam, veteribus Inſcriptionibus in claſſes naviter diſtinctis (2) ornandum ſuſcepit; tum Chriſtianum Muſeum, quod aeternae memoriae Pontifex Benedictus XIV. iam excitaverat, & gemma affabre ſculpta, Mo-

(1) Editus eſt a Cl. Praeſule Ioh. Bottario in opuſculo, cui titulus: *Indice delle antichità, che ſi cuſtodiſcono nel Palazzo di Campidoglio* &c. pag. 8., poſt Philippi Titii librum de Picturis, Sculpturis, & Architecturis Romanis ab eo amplificatum, quod dein ſeorſim bis etiam editum fuit:

Marmora . omnia . antiqui . pedis
Modulo . inſculpta
Scriptorumq. teſtimoniis . commendata
Benedictus . XIV. P. O. M
In . Muſeum . Capitol. tranſtulit
Anno . Pontif. III
Statilianum
In . Ianiculo . alias . effoſſum
(a) Ex . Hortis . Vaticanis
(b) Coſſutianum . ſeu . Collotianum
Ex . Marii . Delphini . Aedibus
Dono . Hieronymi . Principis . Alterii
(c) Aebutianum
Ex . Matthaeiorum . Villa
Dono . Hieronymi . Ducis . Matthaei
Capponianum
Non . ita . pridem . Via . Aurelia . reper
Ex . Aedibus . Capponianis
Dono . Alexandri . Gregorii
Marchion . Capponii
Eiuſdem . Muſei . Curatores . perpetui

(a) Aldrovand. pag. 121.

(b) Grut. Tom. II. pag. 1673.

(c) Fabrett. de Aquis, & aquaeductib. Diſſert. II. pag. 73., & 74. n. 129., & ſeqq.

(2) Huc confluxerunt praeter Matthaeianas, veteres Inſcriptiones domus Porciorum, tum plures Paſſioneii Eremi apud Camaldulenſes in Tuſculo. Ceterum vide varias antiquas Inſcriptiones ex iis, quae pro hac ingenti collectione coactae fuerunt, vel memoratas, vel adductas in Epiſtola noſtra, edita in Ephemeridibus litterariis Florentinis anni 1772. n. 10. col. 148., & n. ſeq. col. 170., tum in aliis n. 43., & ſeqq. col. 677., & ſeqq., dein n. 48. col. 758., ac tandem n. 1. earumdem Ephemeridum anni 1773. col. 4., tum n. 2. col. 10. Conſule etiam Opuſculum, cui titulus: *Ad Inſcriptionem M. Iunii Pudentis hoc ipſo anno Romae detectam adverſus anonymi convicia curae poſteriores* (Caietani Melioris). *Romae* 1773. Vid. Ephemerides Romanas eiuſdem anni, ubi de eadem Inſcriptione Epiſtola Cl. viri Matthiae Zarillii n. XXI. pag. 161. Habes etiam aliquas Inſcriptiones Vaticanas editas a Cl. Viro Caietano Marinio Tom. IX., & ſeq. Diarii Piſani Litteratorum, & in *Sylloge veter. Inſcr.*, qua clauſimus III. Volumina *Anecdotorum* noſtrorum. De Feriis Latinis huc adductis vid. quae adnotavimus hoc I. Vol. Claſs. VII. pag. 73.

Mosaici serpentis emblema referente (1), & Carfagnanae sigillo (2), testimonio sane luculentissimo antiquae eiusdem fidelitatis erga Beatum Petrum, & Romanam Ecclesiam, provide ditavit, novique cubiculi elegantissime picti a temporum nostrorum Apelle, Antonio Raphaele Mengsio, accessione auxit, ut Papyris omnibus per Bibliothecam, & secretum Tabularium olim dispersis, in unum collectis, aliisque Victoriae gentis comparatis certus locus esset (3); ac insuper Etruscorum Vasculorum, quibus Bibliothecae Vaticanae scrinia ornantur, supellectilem mire amplificavit (4); ipsumque tandem aeneorum monumentorum Museum a Clemente XIII. splendide exstructum, praeter recentia ad se dono missa Vindobonensis, Parisiensis, Taurinensis, Palatinae, aliarumque regalium familiarum aurea numismata, argenteis nummis quinetiam Ferettiae (5), & Passioneiae (6) gentis, tum & Ballarinii Musei (7) sane rarissimis, Herodis Antipae (8) singulari aeneo num-

(1) *Osservazioni di varia erudizione sopra un cameo antico rappresentante il serpente di bronzo, esposte da Orazio Orlandi Romano &c. In Roma 1773. per Arcangelo Casaletti*. Vide censuram nostram in Ephmerid. Litter. Romanis eiusdem anni num. XLI., & XLII.

(2) Vid. Ephemerides litterar. Florentinas anni 1771. n. 13. col. 194., & seqq. Articulum nos ipsi suppeditavimus. Donum Cl. Praesulis Stephani Borgiae. Illustratum pridem fuerat a Cl. alio Praesule Iosepho Garampio edito opere, cui titulus: *Illustrazione di un antico Sigillo della Garfagnana. In Roma 1759. per Niccolò, e Marco Pagliarini*. Anonymi Lucensis censuris responsio nunc paratur.

(3) Vid. in cit. Ephem. Flor. ann. 1771. n. 1. col. 5., ubi alter articulus noster de huiusmodi Papyris. Adde Papyrum alteram dono datam ab Equite Marchione Carlo Musca Bartio Pisaurense, de qua consule Epistolam nostram insertam Ephemeridibus Florent. anni 1773., & praesertim n. 49. col. 774., & n. 51. col. 811. Vid. & Praefationem nostram ad *Fragmentum Papyri saeculi V., vel* VI. &c. in Tom. II. *Anecdotor. litterar.* p. 437.

(4) *Iohannis Bapt. Passerii Pisaurensis Nob. Eugubini de tribus Vasculis Etruscis encautice pictis a Clemente XIV. P. O. M. in Museum Vaticanum inlatis Dissertatio. Florentiae 1772. in Typographia Mouckiana*. Ex Museo Ansideiano Perusino. Alia plura Vascula in Vaticanam Bibliothecam migrarunt ex munere Antonii Raphaelis Mengsii eximii Pictoris, & Raphaelis Simonettii Patritii Auximatis, Canonici Basilicae Vaticanae, & SS. D. N. a cubiculo.

(5) Vid. articulum nostrum in Ephem. litter. Flor. anni 1771. n. 14. col. 210.

(6) Vid. ibid. n. 31. col. 482.

(7) Nempe Simonis Ballarinii Praefecti Bibliothecae Barberiniae, & a cubiculo Pontificio, qui obiit V. Idus Martii anni 1772. Hic donavit aliquot rariora, & vetustiora numismata Pontificia, seu potius nummos; cetera empta post eius obitum.

(8) *Problema de anno nativitatis Christi, ubi occasionem offerente vetere Herodis Antipae nummo, in Nummophylacio Clementis XIV. P. O. M. asservato, demonstratur, Christum natum esse anno VIII. ante aeram vulgarem contra veteres omnes, & recentiores Chronologos, auctore P. Dominico Magnan Ord. Minim. Presb. &c. Romae 1772. typis Archangeli Casaletti*. Vid. & Episto-

lam

nummo, aerae Chriſtianae inchoandae documento, Bruti, & Numoniae conſularis familiae aureis nummis Plancani Muſei [1], quorum unus pretioſiſſimus, alter anecdotus, Titi, & Traiani argenteis Graecis nummis rarioribus maximi moduli, viginti duobus in M. Antonii nummis legionibus, & binis ineditis Lucretiae, & Minutiae gentis, a Traiano reſtitutis numiſmatibus Muſei Zarilliani [2], veterum Beneventi Ducum ab Arigiſio ad Georgium Patricium aureis, argenteiſque nummis bene multis [3], Etruſci pueri in Tarquinienſi agro eruti praeclariſſimo ſimulacro ex aere [4], Tabulis aeneis Oſtranorum, & Sentinatium veterum Umbriae populorum [5], tum pateris [6], ſiſtris [7], inauribus [8], vitris vetuſtiſſimis [9], ac ceteris huiuſmodi monumentis munificentiſſime locupletavit; id inſuper conſilii cepit, ut novum omnino Muſeum in ipſis Innocentii VIII. cubiculis, inſigni porticu, adytiſque ornatiſſimum ad excipiendum ſigna, protomas, anaglypha, ceteraque marmorea monumenta excitaret. Inlatum fuit quapropter in ipſum, ut primum licuit, Iovis Veroſpiae gentis marmoreum Signum praeclariſſimum [10], tum aliud omnino integrum, rarum-

lam noſtram in Ephem. litter. Florent. anni 1771. n. 33. col. 517., & ſeqq. Donavit Henricus Sanclementius Monachus Camaldulenſis, nunc Gregorianii Coenobii ad Clivum Scauri Abbas.

(1) De his vid. Epiſtolae noſtrae partem, quae eſt in Ephem. litter. Florent. anni 1773. n. 47. col. 745., & n. 49. col. 772., & ſeqq. De nummo Bruti vide etiam, quae adnotavimus Tom. II. horum Monumentor. Claſſ. II. Tab. XII. Fig. I. pag. 29.

(2) Vid. Epiſtolam noſtram in cit. Ephemerid. ann. 1774. n. 43. col. 678. & ſeq.

(3) Vid. eamdem ibid. col. 681. Donum Cl. Praeſ. Steph. Borgiae.

(4) Vid. articulum noſtrum in cit. Ephemer. anni 1771. n. 49. col. 774., & Praefationem noſtram ad *Alphabetum veterum Etruſcorum* pag. 29. Videnda etiam *Ioh. Bapt. Paſſerii Piſaur. Nob. Eugubini de pueri Etruſci aeneo ſimulacro a Clemente XIV. P. O. M. in Muſeum Vaticanum inlato Diſſertatio. Romae in Aedibus Palladis* 1771. Conſule tandem, quae nos adnotavimus hoc I. Vol. Claſſ. X. pag. 108. Donum praeclariſſimi Praeſulis Franciſci Carrarii Bergomatis, qui etiam pateras, & numiſmata aliquot argentea donavit, de quibus vide Epiſtolae noſtrae partem, quae eſt ad n. 40. col. 628. Ephem. Flor. ann. 1771.

(5) Vid. articulum noſtrum in laud. Ephem. eiuſdem anni n. 1. col. 4. Retulit Muratorius *Theſ. Inſcr.* pag. 563. n. 2., & pag. 164. n. 1.

(6) Vid. Epiſtolae noſtrae partem in Ephem. Flor. ann. 1773. n. 47. col. 743. Adde pateras Carrarianas, de quibus ſuperius adnot. 4.

(7) Vid. ibidem.

(8) Vid. eiuſdem Epiſtolae partem, quae eſt ibid. n. 49. col. 772., & ſeqq.

(9) Vid. Ephemerides litter. Romanas anni 1774. n. VI. pag. 41. Donum Cl. Praeſulis Marii Guarnaccii Volaterrani.

(10) Vid. articulum noſtrum in Ephem. Flor. anni 1771. n. 49. col. 777., quaeque adnotavimus hoc

rumque Octaviani Augusti (1), Meleagri alterum longe celeberrimum Aedium Pighinianarum (2), Iunonis, & Narcissi (3) non deterioris artis, & famae gentis Barberiniae, Sardanapali suo nomine inscripti (4), Paridis Aedium Altempsiarum (5), Dianae stolatae (6), & servi balneatoris (7) Hortorum Pamphiliorum, Discobuli laudatissimi in agro Romano non ita pridem eruti, aliorumque; Tum Borgiae gentis Helvii Pertinacis rarissima Protome (8), aliaque Antinoum referens, Card. Friderici Marcelli Lantis munus (9), Antisthenis Atheniensis Philosophi Herma Tiburtinus (10), Ara Vulcani Hortorum Casalium (11), Biga circensis ad Divi Marci Basilicam iacens (12), Can-

hoc Tom. I. ad Tab. I. pag. 2. Vid. typum apud Eq. Paullum Alexand. Maffeium in Collectione veterum Signorum Romae Tab. CXXXV. pag. 127.

(1) Vid. quae adnotavimus hoc Tom. I. Class. VIII. Tab. LXXVI. pag. 77.

(2) Vid. Epistolae nostrae fragmentum in Ephem. Flor. anni 1770. n. 15. col. 231., quaeque adnotavimus Tom. III. horum Monument. Class. V. Tab. XXX. pag. 59. Vid. apud eumdem Maffeium ibid. Tab. CXLI. pag. 131.

(3) Laudantur haec Signa ab omnibus Romanarum Antiquitatum scriptoribus, alterum vero adducitur a Hier. Tetio in *Aedib. Barbariniis* litt. N. pag. 219. Adde Biremem Praenestinam, adductam a Cl. Ioh. Winckelmannio Monum. antiq. inedit. Vol. I. n. 207., Protomen porphyreticam Philippi Imp., & duos Sarcophagos, de quibus omnibus vide Epistolae nostrae partem in Ephem. Flor. ann. 1772. n. 45. col. 711.

(4) Vid. eius typum apud Winckelmannium loc. cit. Vol. I. n. 163., cuius illustrationem habes Vol. II. Par. III. Cap. I. pag. 219.

(5) Apud Maffeium cit. Collect. Tab. CXXIV. pag. 116.

(6) De Dianae Signo Winckelmannius loc. cit. Vol. II. Par. I. Cap. VII. n. III. pag. 27. Vid. typum Tab. 53. in *Villa Pamphilia, eiusque palatio cum suis prospectibus, statuis, fontibus &c. Romae formis Iacobi de Rubeis*.

(7) De Servi balneatoris Signo, quod Senecae falso tribuitur, vide eumdem Winckelmannium ibid. Par. IV. Cap. IX. n. II. litt. C. pag. 256. Vid. typum Tab. 36. cit. *Villae Pamphiliae*.

(8) Typum aeneum habes apud Ios. Roccum Vulpium *Vet. Lat. profan.* Tom. IV. Cap. VI. Tab. VII. Vid. Epistolae nostrae fragmentum in Ephem. Flor. anni 1773. n. 34. col. 531., quaeque adnotavimus Tom. II. horum Monum. Class. III. Tab. XXVI. Fig. II. pag. 42.

(9) Meminimus hoc ipso Vol. Class. VIII. Tab. LXXXVIII. pag. 88.

(10) Vid. Epistolam nostram in laud. Ephemer. eiusd. anni num. 45. col. 715., & n. 47. col. 742.

(11) *Ragionamento di Orazio Orlandi Romano sopra un' Ara antica posseduta da Monsig. Antonio Casali Governatore di Roma. In Roma per Arcangelo Casaletti* 1772. Vide, quae nos adnotavimus Tom. III. horum Monument. Class. VII. Tab. XXXVII. Fig. II. pag. 73. Adde vas cinerarium elegantissimum, quod simul dono datum est, & ab Orlandio illustratum. Praecesserat antea donum Capitis aenei Balbini Imp., de quo nos in iudicio, quod de hoc Opusculo emisimus in Ephemerid. Roman. anni 1772. n. XXXV. pag. 276., & in Epistolae fragmento, inserto Ephemerid. Florent. anni 1771. col. 821.

(12) Eius schema exhibuit Tab. III. sub n. XLVIII. ad Cap. XXIII. col. 2111. Valerius Chimentellius illustrans *Marmor Pisanum de honore Bisselli* (Tom. VII. *Antiq. Rom. Graevii*) qui balnearem sellam putat, & rursus asserit Cap. XXVII. col. 2130. Vid., quae adnotavimus Tom. III. Class. VIII. Tab. XLVII. Fig. II. pag. 87.

Candelabra Barberinia (1), Zeladianum (2), aliaque ad Divae Agnetis extra Portam Nomentanam adſervata (3), Sarcophagus Veliternus quantivis pretii Sex. Varii Marcelli (4), Urna Tudertina (5) egregii Etruſci operis, & altera Peruſina (6) arcanis ethnicorum ſculpturis inſignita, aliaque permulta, quae ſciens praetereo, quaeque iam eruditorum ſcriptis longe, lateque inclaruerunt. His omnibus accedunt praeſtantiora Hortorum Matthaeiorum Signa, quorum pleraque ſuperius etiam pro re nata deſignavimus, Cereris nempe ſedentis (7), & ſtantis (8), Fauni dormientis (9), & a Satyri pede ſpinam extrahentis (10), armatae Amazonis (11), velatae Pudicitiae (12), Octaviani ſacrificantis (13), Traiani ſedentis (14), Commodi equo vecti (15), duo Hiſtrionum ſigilla

(1) Vid. Epiſtolae noſtrae fragmentum in Ephem. Flor. anni 1770. n. 15. col. 230. Alterius ex his Candelabris ſchema habet Winckelmannius loc. cit. Vol. I. n. 30., agitque de eo Vol. II. Par. I. Cap. XII. n. 1. pag. 36., & alibi. Vid. adnot. ſeq.

(2) Vid. articulum noſtrum in Ephem. Florent. eiud. anni n. 45. col. 715., & ſeqq. Vid. Opuſculum, cui titulus: *Diſcorſo dell' Abate Gaetano Marini ſopra tre Candelabri acquiſtati dal S. P. Clemente XIV. In Piſa* 1771. *preſſo Agoſtino Pizzorno*. Tab. III. aeneae. Ex Diarii Piſani Tom. III. art. V. pag. 177.

(3) Ex V., quae exſtabant, IV. in Muſeum Clementinum Vaticanum adſportata, quintum ſuo loco relictum eſt. De his multi Romanarum antiquitatum Scriptores verba faciunt.

(4) De hoc Sarcophago, qui a pluribus editus, & illuſtratus eſt, vide Ephemerides Romanas ann. 1773. n. III. pag. 17.

(5) Vid. Epiſtolam noſtram in Ephem. Flor. anni 1773. n. 45. col. 712., & ſeq. De hac Urna verba fecimus etiam in hoc I. Vol. Claſſ. X. adnot. ad Tab. CII. pag. 107., & Vol. III. Claſſ. V. Tab. XXIV. Fig. I. pag. 57.

(6) Vid. eamdem Epiſtolam noſtram in cit. Ephem. Flor. n. 47. col. 741., & ſeqq., tum ea, quae innuimus Tom. III. horum Monum. Claſſ. II. Tab. XII. Fig. II. pag. 22. Exſtant etiam *De marmoreo ſepulcrali Cinerario Peruſiae effoſſo, arcanis ethnicorum ſculpturis inſignito, in quibus ſymbolice ſacra quaedam revelatae Religionis myſteria adumbrantur, & Clementi XIV. P. O. M., ac ſapientiſſimo ad incrementum Muſei Pontificii Vaticani ab Emerico Bologninio Peruſiae, & Umbriae Praeſide humillime oblato Coniecturae Ioh. Bapt. Paſſerii Piſaur. Regiae Academiae Londinenſis, & Inſtituti Bononienſis Socii. Romae* 1773. *apud Benedictum Franceſium*.

(7) Matthaeiana monumenta ad Muſeum Vaticanum ornandum comparata innuimus in Epiſtolae noſtrae articulo, inſerto Ephem. Flor. anni 1771. n. 1. col. 6. Singula vero in his Voluminibus deſignavimus. Vide ergo Signum Cereris ſedentis Tom. I. Claſſ. II. Tab. Tab. XXXVI. pag. 21.

(8) Vid. ibid. Tab. XXX. pag. 24., & ſeq., & apud Maffeium Tab. CVIII. col. 100.

(9) Ibid. Claſſ. III. Tab. XXXIV. pag. 28.

(10) Ibid. Tab. XL. pag. 32.

(11) Ibid. Claſſ. IV. Tab. LX. pag. 53., apud Maffeium Tab. CIX. pag. 202., & apud Montfauconium *Antiq. explic.* Tom. IV. Par. I. Tab. XIV. n. 2. pag. 2.

(12) Ibid. Claſſ. V. Tab. LXII. pag. 56., & apud Maffeium Tab. CVII. pag. 99.

(13) Ibid. Claſſ. VIII. Tab. LXXVII. pag. 77.

(14) Ibid. Tab. LXXXV. pag. 84.

(15) Ibid. Tab. XCIII. pag. 92., & apud Maffeium Tab. CIV. pag. 96. Notae ſunt Ficoronii expo-

la [1] , ac truncus militis gladio cinĉti, galeamque pede dextero prementis [2] ; tum Protomae Iovis Serapidis [3] , Sileni [4] , Plotinae [5] , & L. Veri [6] ; inſuper aenea capita Neronis [7] , & Treboniani [8] , ſymplegma vel Ariae, & Poeti, vel Portiae, & Bruti [9] , & animalium collectioni accenſiti Aries arae impoſitus [10], Leo, & Aquila [11]; praeterea baſes pompam Iſiacam referentes [12], & anaglypha Coniuges Iſidi ſacrificantes [13] , Veturiam alloquentem Coriolanum [14], natale Romuli, & Remi [15], & Nymphas fontium praeſides [16] exhibentia; ac tandem Cippi, Urnae, & Inſcriptiones bene multae , quas ſuis locis deſignare ſategimus [17]. Cetera vero aliter diſtracta , & praeſertim Marci Aur. Antonini praetextati Protomen a Gavino Hamiltonio Anglo comparatam [18] haud perſequi vacat , quum iam tantus Vaticanarum divitiarum ſplendor in ſui nos modo rapuerit admirationem. Quare ſi tantae rerum antiquarum ſupellectili ibidem coactae addas celeberrima, iam tum ibidem adſervata, marmorea Signa iacentia Cleopatrae, ſive Nymphae ad fontem dormientis [19], Nili [20], & Tiberis amnium, tum cete-

ra

poſtulationes adverſus Maffeium , & Montfauconium, quod hoc Signum Hadriano tribuerint.

(1) Ibid. Claſſ. X. Tab. XCIX. pag. 100., & apud Sponium *Miſcell. erud. antiq.* Sect. IX. n. 1. pag. 312.

(2) Nunc reſtauratur, ut in integrum Signum evadat. Quare mirum videri non debet apud nos deſiderari.

(3) Tom. II. Claſſ. I. Tab. I. Fig. II. pag. 3.

(4) Ibid. Tab. VI. Fig. II. pag. 8.

(5) Ibid. Claſſ. III. Tab. XV. Fig. II. pag. 34.

(6) Ibid. Tab. XXIV. Fig. I. pag. 40.

(7) Ibid. Tab. XIII. Fig. II. pag. 32.

(8) Ibid. Tab. XXXI. Fig. I. pag. 46. Vid. Epiſtolae noſtrae fragmentum in Ephem. Flor. 1771. n. 52. col. 822.

(9) Ibid. Claſſ. V. Tab. XXXIV. Fig. I. pag. 48.

(10) Ibid. Claſſ. X. Tab. LXIX. pag. 92., & apud Montfauconium *Antiq. explic.* Tom. II. Lib. III. Cap. I. n. 2. pag. 49. Tab. IX. n. 1.

(11) Leo, & Aquila deſiderantur in noſtra hac collectione.

(12) Tom. III. Claſſ. IV. Tab. XXV. Fig. I., & II. pag. 44.

(13) Ibid. Tab. XXIV. pag. 41.

(14) Ibid. Claſſ. VII. Tab. XXXVII. Fig. I. pag. 71.

(15) Ibid. Tab. ead. Fig. II. pag. 73.

(16) Ibid. Claſſ. X. Sect. I. Tab. LIII. Fig. I. pag. 95.

(17) Adde Inſcript. 15. Sect. VI. pag. 119., & 16. eiuſd. Sect. pag. 121., quarum migrationem in Vaticanum adnotare omiſimus.

(18) Vid. Tom. II. Claſſ. III. Tab. XXII. Fig. I. pag. 38.

(19) Vid. Ioh. Winckelmannium Tractatu praeliminari ad Monumenta antiqua anecdota Cap. IV. pag. XC. Vol. I.

(20) Vid. Epiſtolam noſtram in Ephemeridibus litter. Florent. anni 1775. n. 2. col. 22., & ſeqq., ubi de huius Statuae reſtauratione, & lingua perperam crocodilo affiĉta.

ra longe praeclarissima Apollinis Pythii, Laocoontis, Antinoi, Herculis cum Aiace (1), Antinoi, & Veneris, truncus Herculeus, quod opus erat Apollonii Atheniensis, & Michaelis Angeli Bonarotii spectaculum, ac tandem vas ingens porphyreticum, larvas scenicas, aras sacrificiales ab Agrippae Pantheo avectas, aliaque nonnulla, nae tu dixeris, erudite Lector, praestantiora quaeque artis miracula heic Graecae, & Romanae magnificentiae Genio templum parasse, sibique aeternam asseruisse incolumitatem. Sed quid non insuper sperandum a PIO VI. Pont. Opt. Max., cuius providentia nunc regimur, & cuius ductu, consilioque, dum Aerario Pontificio praeesset, tantum opus inchoatum, ac perfectum est? Ipse enim liberalium artium amore incensus iam tantum opus amplificandum regio plane animo, & magnifico sumptu suscepit, iamque multa plane egregia antiquitatis cimelia, quae in lucem auspicato nunc e terrae sinu prodierunt, sedulo conquisivit, atque paravit, quibus augustum hoc Musarum domicilium pro dignitate exornet. Huc nimirum confluet Fauni Signum celeberrimum ex rubro Aegyptio marmore, Hermae Bacchantium, & Herculis sane elaboratissimi, Antisthenis alter haud vulgaris, tum Domitiae Augustae non obvia Protome, olim Comitis Iosephi Fedii deliciae, ac peritorum omnium admiratio. Huc item migrabit Musarum chorus, & Graeciae sapientum Hermae, ipsorum nominibus*, & sententiis inscripti, aliique veterum tum Poetarum, tum Philosophorum plane similes, quos Tiburtinus ager nuper eduxit (2). Huc etiam procedet Aspasiae Herma alter hoc ipso anno detectus, aliaque e Castri novi ruderibus simul erumpentia monumenta (3). Huc se reci-

(1) Vid. quae ex Winckelmannio adnotavimus & ad Tom. II. Class. III. Tab. XXV. Fig. I. pag. 41., & ad Tom. III. Class. V. Tab. XXXI. pag. 60.

(2) Vide Anthologiam Romanam Tom. I. num. XXXIV. pag. 269., quaeque nos etiam adnotavimus Tom. II. Class. VII. Tab. LII. Fig. I. pag. 69.

(3) Vide Epistolas Caietani Torracae Centumcellensis Medici clarissimi relatas in Tom. III. Anthologiae Romanae n. XXXIII. p. 257., n. XXXVIII. pag. 297., n. XLI. pag. 327., & n. LII. pag. 409.

recipient & vas ex baſalte elegantiſſimum in Quirinali effoſſum, & alterum ex alabaſtro pretioſiſſimum ad Auguſti Mauſoleum recens erutum, ceterique ibidem detecti & Livillae Germanici Caeſaris filiae [1], & Tiberii Caeſaris Druſi Caeſaris filii [2], & Caii Caeſaris, Tiberiique Caeſaris, tum & alterius anonymi, Germanici Caeſaris filiorum emortuales tituli, & Auguſtae domus nova indubia monumenta [3]. Huc inſuper adducentur quatuor ſymplegmata, Herculis facinora exprimentia, nempe Geryonem Hiſpaniae Regem tricorporeum ab ipſo bello ſuperatum, Diomedem Thracem quadrigis devictum, tripodem ab Apollinis Sacerdotis manibus vi ereptum, & Cerberum canem tricipitem triplici catena ad ſuperos retractum, quae nimirum inter Oſtiae rudera non ita pridem reperta ſunt. Huc tandem accedet & Protome Peruſina Antonini Caracallae [4], & altera Lavinatium Sabinae Hadriani uxoris, & Anaglyphum bubulum Ocriculanum, & Picena Falarienſia Monumenta [5], & Muſivum Tuſculanum Meduſae caput referens [6], & alia ſexcenta tum ad Hortos Carpenſes, tum in Quirinali, tum ad Curiam Innocentianam, tum alibi detecta, quibus enarrandis diem perderem. Nec deerunt altero aeneorum monumentorum Muſeo perrara, atque ſelecta cimelia, praeſertimque effoſſa exacto anno ad Aventinum Clunienſis Senatus conſulti aenea tabula, Graecaque numiſmata anecdota Tigranis Armeniae Regis cum Eratonis ſororis vultu [7], Octaviae Auguſti ſororis cum anadyomenes Veneris typo

po

Vid. & quae nos adnotavimus noſtro Tom. III. Claſſ. X. Sect. XIII. n. 66. pag. 171.

(1) Vide Epiſt. anonymam Cl. Viri Ioh. Ludov. Blanconii, Saxonici Electoris a conſiliis, & Romae Oratoris laud. Tom. III. Anthol. Rom. n. LI. p. 401.

(2) Vid. Epiſtolam alteram eiuſdem Tom. IV. Anthol. Rom. n. I. pag. 2.

(3) Vid. Epiſt. tertiam eiuſdem loc. cit. n. II. p. 9.

(4) Vid. quae nos adnotavimus Tom. II. horum Monum. Claſſ. III. Tab. XXX. Fig. II. pag. 46.

(5) Vide Opuſculum, cui titulus: *Sulle Città Picene Falera, e Tignio Diſſertazione epiſtolare dell' Abate Giuſeppe Colucci ai Signori di Falerone. Fermo 1777. in 8.*

(6) Vid. Card. Ioſ. Alexand. Furiettium *de Muſivis* Cap. IV. pag. 58.

(7) Vid. Tacitum *Annal.* Lib. II. initio. Parte anter. legitur: BACIΛEΤC. BACIΛEΩN. TIΓPANHC. averſa vero parte: EPATΩ. BACIΛEΩC. TIΓPA-NOT. AΔEΛΦH.

po [1], Silani Syriae Praeſidis poſt Quirinum, ubi inſcripta anni nota novum ad coniectandum aerae Chriſtianae principium lumen afferret [2]; Titi, & Domitiani cum peculiari Laodicenſium epocha, Philippi ſenioris, iuniorisque in Stectoris urbe percuſſa, cetera huiuſmodi Graecis Coloniis accenſenda. Sed quo me abripit tantarum lautitiarum ingens prorſus, ac mira congeries? Quapropter iam e diverticulo in viam.

XIII. Singula huſquedum expoſuimus, quae ad Hortos Caelimontanos Matthaeiorum pertinent; nec quidem de Hortis Palatinis, quae ad ipſos olim ſpectabant, ac poſtea Spadiae, dein Magnaniae gentis iuribus ceſſerunt, iuvat quidquam attingere [3]. Nunc vero de eorum Aedibus urbanis verba nobis facienda ſunt. Huius gentis maiores avitas aedes habuerunt in regione Tranſtiberina ad pontem Caeſtium, qui Inſulam Lycaoniam Ianiculo iungit, quae adhuc exſtant, quibuſque fidem conciliant gentilitia ſtemmata hinc inde appicta, & ipſa pontis cuſtodia Matthaeiis Ducibus etiamnum concredita, Pontificia Sede vacante. Multis inſcriptionibus ornatas fuiſſe has aedes, patet praeſertim ex Gruterio [4], Reineſio [5], Seldenio [6], & Kirchmannio [7], qui earum nonnullas, addita huius loci deſignatione, adducunt. Excitatis aedibus urbanis, Tranſtiberinas deſeruiſſe veroſimile eſt. Certe quidem tam laxo ſolo potiti ſunt, ut Inſulam condiderint, quae ex variis, iiſque amplis, & elegantibus domibus coaleſcit. De iis ſingillatim dicemus, at primum vetera aedificia, quae hunc locum tenuerunt, ceteraſque vicinias perpendemus. Circus Flaminius quidem in regione Urbis nona ſitus praeſertim deſcri-

(1) Cum epigraphe ΟΚΤΑΟΥΙΑ; & averſa parte ΚΩΙΩΝ.

(2) Cum epigraphe: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΜ.

(3) *Venuti Roma moderna* Tom. II. pag. 395.

(4) *Inſcript. Roman.* pag. 22. n. 3., & 6., pag. 31. n. 11.; pag. 32. n. 12.; & pag. 86. n.4., & 5.

(5) *Syntagma Inſcr. antiquar.* Cl. IX. n. 67. pag. 577., & Claſſ. XI. n. 105., & ſeqq. pag. 645.

(6) *De Diis Syris* Syntagm. II. Cap. I. pag. 220.

(7) *De funeribus Romanor.* Lib. III. pag. 355. edit. Lugd. Batav. apud Hackios 1672.

ſcribendus venit, quem, ſi Feſtum, Liviique epitomatorem (1) audiamus, exſtruxit Flaminius Cenſor, qui etiam viam Flaminiam Roma Ariminum uſque, ſive potius ad Rubiconem amnem munivit, vel Flaminius alter antiquior, Plutarcho teſte (2), qui populo Romano campum legavit pro certaminibus equeſtribus obeundis. Celebratos hoc loco etiam ludos Tauricos Diis Inferis ſacros, vel ludos Apollinares poſt Cannenſem cladem inſtitutos vulgo fertur (3), ac nundinas quinetiam habitas teſtatur Tullius (4). Diu huius Circi reliquiae conſervatae ſunt, & multae adhuc exſtant. Habetur Bulla Caeleſtini III. Rom. Pont., qua enumerantur, & confirmantur bona Eccleſiarum Sanctae Mariae Domnae Roſae, & S. Laurentii in Caſtello aureo, quaeque data eſt Laterani anno CIƆCXCII. a. d. IV. nonas Octobris indictione X., atque ibidem ita deſcribuntur Circi Flaminii veſtigia tunc exſiſtentia: *Idem Caſtellum aureum cum utilitatibus ſuis, videlicet parietibus altis, & antiquis in circuitu poſitis, cum domibus, & caminatis, eiſdemque parietibus deforis undique copulatis; Hortum, qui eſt iuxta idem Caſtellum cum utilibus ſuis, & ſuperioribus Criptarum; Populum foras portam iam dicti Caſtelli a parte Campitelli, & regionis Sancti Angeli uſque in Burgum &c. Caſtellum* enim *aureum* medio aevo, & *Palatium* quoque dictus fuit Circus Flaminius, ut cetera etiam vetera ingentia aedificia a rudioribus infimae latinitatis ſcriptoribus vocata ſaepe fuerunt. Hinc Eccleſiae Sancti Laurentii, quae in eius ambitu comprehendebatur, nomen *in Caſtello aureo*, tum etiam *in Palatinis*, corrupte vero *Pallacini*, ac tandem *in clauſura* adhaeſit, ut inter alios animadvertit Ioh. Vignolius (5). Hoc etiam adnotavit Iacobus Grimal-

(1) Lib. X.
(2) *Problem.* 65.
(3) Liv. XXX. 38.
(4) *Epiſt. ad Attic.* 14. Lib. I.
(5) Adnot. 5. ad S. Leonis III. Tom. II. *Libri Pontificalis*.

maldius (1), qui agens de Monaſterio S. Laurentii in Palatinis, *dicebatur*, inquit, *in Palatinis propter Circum* (Flaminium), *quem ignare Palatium vocabant. Ita Circum Neronis Palatium appellant, & Montem S. Michaelis hac de cauſſa Palatiolum*. De Eccleſia S. Michaelis *in Palatiolo* vide Franciſcum M. Turrigium (2) latius diſſerentem. Etiam apud Anaſtaſium Bibliothecarium in vita S. Petri *Palatium Neronianum* memoratur; quemadmodum in Codice Vaticano (3), ubi quaedam ad Baſilicam Sanctorum XII. Apoſtolorum ſpectantia habentur, Forum Traianum *Traiani Palatium* dicitur, ac alibi *Palatium Antonianum* dictae etiam ſunt Thermae Caracallae. Quare Templum noſtrum S. Lurentii in *Palatinis*, ac monaſterium noviter reſtauravit Hadrianus I., & coniunxit cum alio monaſterio S. Stephani iuxta ipſum poſito, & *in Baganda* dicto, ibique Monachos ad pſallendum in titulo Sancti Marci ordinavit (4). Nec aliud inſuper, quam noſtrum putandum forte eſt Templum S. Laurentii *Palatini*, cuius mentio eſt in Bulla S. Leonis IX. (5), licet Bullarii Vaticani editores (6) ad S. Laurentii *in Piſcibus* revocaverint, ac de eo dubius haeſerit Eques Franciſcus Victorius, dum IX. Templa S. Laurentio ſacra in Urbe recenſeret (7). Heic etiam ſitum erat Templum S. Mariae Domnae Roſae, cuius mentio ſupra occurrit, & habetur inſuper in Ordine Romano, quodque cum ceteris in conſtructione Monaſterii S. Catharinae *de Funariis* (8) dirutum eſt. Andreas Fulvius (9) aetate ſua, Clemente ſcilicet VII. regnante, exſtitiſſe etiamnum huius Circi formam, & veterum ſedilium ſigna tradit, atque in eius

(1) In Lib. Mſ. *de Canonicis Baſilicae S. Petri* Cap. II.

(2) *Della Chieſa di S. Michele Archangelo, e di San Magno* Cap. VII. pag. 20.

(3) Sub n. 5560.

(4) Vid. Florav. Martinellium *Roma ex ethnica ſacra* pag. 364.

(5) Tom. I. *Bullar. Baſil. Vatican.* pag. 26.

(6) Ibid. adnot. (*c*).

(7) *Diſſert. Philolog.* pag. 85.

(8) Ibid. pag. 371., & 374.

(9) *Urbis antiquit.* Vid. infer. p. XLVIII. adn. 2.

eius cavea erectum laudatum Templum S. Catharinae cognomento *de Funariis*, quod ibi ob loci commoditatem, & areae longitudinem funes intorqueri consueverint. Eiusdem Circi formam saeculo XVI. depictam, quam tamen multa ex parte ingenium suppleverit, affert Montfauconius (1) ex Lauro. Porro iuxta Fulvii, aliorumque sententiam Circi latitudo spatium occupavit, quod inter officinas, sive apothecas obscuras, forumque Iudaeorum est interiectum. Huiusmodi quidem apothecae olim iunctae erant non Circo solum Flaminio, sed aliis etiam Circis. *Numularium*, nummorum scilicet permutatorem, vel eorumdem aestimatorem, *de Circo Flaminio* habes in veteri inscriptione a Vignolio adducta (2), Vitri officinam inibi etiam fuisse docet Martialis (3) dicens:

Accipe de Circo pocula Flaminio.

Habetur *Pomarius de Circo Maximo ante pulvinar* apud Reinesium (4), & Sponium (5), qui nempe inter negotiantes minutos, & ῥωποπώλας olera vendebat, non autem viridaria colebat, ut placuit Sponio. Siquidem saepe occurrit in veterum inscriptionibus designatus locus, ubi opifices officinas suas aperiebant, ut in nostra Inscriptionum sylloge observavimus (6). Ad eas autem officinas, cum Card. Dominicus Gymnasius exacto saeculo Templum S. Luciae a fundamentis una cum adiunctis aedibus, & monasterio renovaret, effossae sunt ingentes columnarum spirae, & scapi e Tiburtino lapide, ac quadratae eximiae magnitudinis. Quare summus Circus in hemicyclum curvabatur ad plateam Marganam vulgo dictam non longe a Capitolio, ac flectebatur ad Aedem S. Angeli in Foro Piscario; eius autem ima pars, ubi Circi carceres habeban-

(1) *Antiq. explic.* Tom. III. Par. II. Lib. III. Cap. III. Tab. CLIX. pag. 278.

(2) *Inscript. select.* pag. 141. post Dissertat. *de Columna Imp. Antonini Pii.*

(3) *Epigram.* 75. Lib. XII.

(4) *Syntagm. Inscript. antiq.* Class. XI. n. 79.

(5) *Miscell. erud. antiq.* Sect. VI. pag. 230.

(6) Tom. III. Class. X. Sect. VI. n. 11. pag. 119., & seq.

bantur, pertingebat ad Aedem S. Nicolai *ad Calcarias* dicti, & ad palatium Ducum Caeſariniorum. Certe quidem Templum Apollinis (1), quod alii Muſis, vel Herculi Cuſtodi ſacrum dixerunt, Circo Flaminio adhaerebat; nec aliud ſpatium obtinuiſſe, quam quod nunc tenet Aedes S. Nicolai, & adiunctum Collegium Clericorum Reg. de Somaſcha, docent veſtigia ſphaericae parietis, cui adnectuntur Ionicae columnae incendio corruptae, & ex veteri marmorato concinne refectae, quorum ſingula adhuc in Cavaedio eiuſdem Collegii conſpicua ſunt. De Aede altera Neptuno dicata, quae erat *in Circo Flaminio*, & cuius *Aedituus* erat *Abaſcantius Aug. Lib.* (2), cum nullae ſint reliquiae praeter antiquae inſcriptionis memoriam, haud praeſtat pluribus diſſerere. Ceterum conſtat, in ea fuiſſe multa tum Signa, tum Anaglypha, quorum nonnulla Neptunum, Thetim, Achillem, Nymphaſque marinas delphinis vectas referebant, & tamquam Scopae opera praedicabantur (3). Anaglypha quidem nonnulla affixa etiam nunc ſunt parietibus Aedium Matthaeiarum, Nymphas marinas (4), & Pelei, & Thetidis nuptias (5) exprimentia, quae forte ad hoc Templum pertinuerunt, & in hac vicinia erui potuerunt. In ipſo Circo Flaminio exſtitiſſe etiam Signum Achillis, Cephiſſodori opus, tradit Plinius (6): verum hoc, ceteraque huiuſmodi vel abſumpſit temporum iniuria, vel adhuc celat invida tellus. Quid memorem inſuper Circo Flaminio propinquas Aedes Martis, Vulcani, Bellonae, Caſtoris, Pietatis, ipſiuſque Iovis Statoris, quas Onuphrius Panvinius (7) ſtudioſe recenſuit? Quapropter deſignata Circi Flaminii

(1) *Le antichità Romane, opera di Gio. Batiſta Piraneſi*; *Roma* 1756. Tom. I. n. 94. pag. 13.

(2) Inſcriptionem, quae exſtabat in pratis Quinctiis in vinea quadam, refert Onuphrius Panvinius *de Ludis Circenſibus* Cap. XVIII., ubi de Circo Flaminio, pag. 133. edit. Pariſ. ann. 1601. & ex eo etiam ceteri.

(3) Plin. *Natural. Hiſt.* Lib. XXXVI. Cap. V.

(4) Vid. Tom. III. Claſſ. II. Tab. XII. Fig. I. pag. 21., & Tab. ead. Fig. II. pag. 22.

(5) Ibid. Claſſ. VIII. Tab. XXXII. pag. 61., & Tab. XXXIII. pag. 64.

(6) Loc. cit.

(7) Loc. cit.

minii longitudine, a platea nempe Margana ad Aedes Caesarinias, ceteriſque eidem adiacentibus aedificiis, apparet Aedes Matthaeianas id loci nunc tenere, quod media fere pars Circi olim tenere debuerat. Teſtis quidem eſt Pyrrhus Ligorius [1], atque etiam laudatus Panvinius [2], paucos annos ante harum Aedium conſtructionem, multam Circi partem adhuc integram exſtitiſſe, praeſertim eo loci, ubi etiamnum erigitur domus a Ludovico Matthaeio excitata, de qua inferius latius dicendum erit; cum ibidem, utroque etiam ſcriptore afferente, multa marmora effoſſa fuerint, ac potiſſimum Anaglyphum Circenſibus ludis inſignitum, quod non aliud, quam noſtrum ſuo loco adductum [3], exiſtimamus. Nec illud praetereundum in Cavaedio Matthaeianae noſtrae domus parietibus affixos cerni quatuor arcus ſemicirculares, foliis, roſiſque diſtinctos, quorum duo integri adhuc ſunt, duo vero dimidia fere parte ſecti (fragmentis hinc inde ſparſis) quoſque ſupra Circi Flaminii carcerum fores olim exſtitiſſe exiſtimat

(1) Nel Libro de' Cerchi: *Cominciava queſto* (il Flaminio) *dalla piazza de' Morgani, e finiva appunto al fonte di Calcarara, abbracciando tutte le caſe de' Mattei, e ſtendendoſi fino alla nuova via Capitolina, ripigliando in tutto quel giro molte altre caſe. Da queſto lato de' Mattei il Circo pochi anni ſono era in gran parte in piedi; la parte più intiera ſtava nel ſito della caſa di Lodovico Mattei, il quale ha cavato una quantità di travertini del Circo in quel luogo, e trovatovi tra l'altre coſe un fregio in un gran pezzo intagliato de' putti, che ſopra de' carri facevano i giuochi Circenſi, e nella cantina trovaronſi altri travertini, e videſi alquanto del canale, per dove paſſava l'acqua, la quale ora chiamaſi il fonte di Calcarara, forſe per la calce, che ivi ſi macerava.*

(2) Loc. cit. pag. 129: *Porta Carmentalis, ſecundo murorum Vrbis ambitu, quos T. Tatius cum Romulo regnans exſtruxit, in radicibus Capitolii condita fuit, a qua haud procul Circus Flaminius erat, ad eam partem vergens, ubi nunc eſt Vrbs Roma. Cuius longitudo protendebatur ab area domus Marganiae, ubi in hemicycli formam deſinebat, uſque ad novam viam Capitolinam, ubi carceres, & XIII. oſtia erant: latitudo vero fuit ab Aedibus Ludovici Matthaei uſque ad Calcariae fontem, ubi eſt officina tinctoris ambiens eo circuitu apothecas obſcuras Matthaeiorum, & multas diverſorum privatas domus. Cuius fundamentis e Tiburtino lapide, quae Matthaeiorum, & vicinis aedibus ſuppoſita ſunt, ante aliquot annis erutis, marmorea tabula pueros currilia ludrica agitantes inciſos continens reperta fuit. Adhuc vero exſtat antiquus Circi euripus limpidiſſimus tinctoris officinam praeterfluens, qui fons Calcariae a vicinis* (*quae ibidem coquebantur calcis fornacibus*) *dicitur. Eius Circi arena lateribus minutiſſimis tranſverſe ſtratis opus teſſellatum ſuprapoſitum habebat.* Vide & Fulvium Lib. IV. cap. *de Circo Flaminio*, ubi ait: *Longitudo eius Circi ab Aedibus nunc D. Petri Margani, & S. Salvatore in Penſili uſque ad Aedes D. Ludovici Matthaei iuxta Calcaranum, ubi caput Circi.*

(3) Tom. III. Claſſ. VIII. Tab. XLVII. Fig. II. pag. 87.

mat Carolus Blanconius liberalium artium cultor eximius, idemque ſcientiſſimus, & Ludovici Saxonicae Aulae a conſiliis, & Romae Oratoris, a quo Circi Caracallae formam, & univerſam illuſtrationem praeſtolamur, meritiſſimus frater; ratus ſcilicet hoc loci, vel non longe effodi eoſdem iam potuiſſe, & dein ſedem hanc, atque uſum nactos fuiſſe. Quae inſuper ad hunc Circum ſimul pertineat, reſtat adhuc decurrens aquae vena, quae habetur in crypta vinaria cuiuſdam domus Matthaeianis Aedibus propinquae (1). Abundare enim aquae copia Circum opus erat, ſi XXXVI. crocodilorum ſpectaculum ibidem edidit Auguſtus (2). Nec niſi ad Circum ſpectaſſe veroſimile eſt aliquam quoque aquae partem, quae etiamnum decurrit iuxta proximam, cui ab ulmo nomen eſt, cloacam.

XIV. Iam monuimus Matthaeiorum Inſulam in plures diſpeſci Aedes, quae tamen ad unam, eamdemque gentem olim pertinebant. Antiquiores eae eſſe videntur, quae meridionalem plagam, & plateam teſtudinum, quod eae fontis crateri inſculptae, reſpiciunt; in qua nimirum aquae Saloniae, Gregorio XIII. Romano Pontifice, in Urbem Mutii Matthaeii curis deductae fons cernitur, quatuor vaſibus, conchiliorum inſtar, ex Africano marmore, totidemque aeneis delphinorum ſimulacris a Thadaeo Landinio Florentino anño CIƆIƆLXXXV. conflatis inſigniter ornatus (3). Hae quidem Aedes auctorem habent Iacobum Matthaeium, qui pro iiſdem condendis architectonica opera uſus eſt Nanni Bigii, earumque parietes diſtingui voluit Thadaei Zuccherii picturis, quibus Furii Camilli facinora exprimebantur, licet quae in fronte erant, obducta calce paucis ab hinc annis inepte oblitteratae

(1) Vid. Venutium *antica Roma* Par. II. Cap. III. pag. 87.

(2) Dio Lib. LV.

(3) Vid. Barthol. Marlianium *Urbis Romae Topographia* Lib. VII. pag. 161. a ter. edit. Venet. 1588., & Andream Fulvium *Antichità di Roma* Lib. V. pag. 321. a ter. *Venezia* 1588.

tae iam fuerint, iis, quae ſunt ad latus, dumtaxat reſervatis. Duo etiam interiora cubicula eiuſdem pennicillo exornata inſuper fuerunt. Ante Templum SS. Valentino, & Sebaſtiano dicatum ſurgunt Aedes, quas Iacobi Barotii a Vignola opera condidit

LVD. MATTHAEIVS . PETR
ANT. FILIVS . LVD. NEPOS

ut ſupra fores ſtat epigraphe conditorem ciens, quaeque ad Matthaeios Paganicae Duces iam ſpectabant, multiſque veterum monumentis inſtructae erant. Nec alia, quam quae heic ſervabantur Signa, cenſenda ſunt, quae ſub Caeſaris Auguſti (1), & Aurelii Caeſaris (2) nomine in Aedibus Ludovici Matthaeii haberi ait, ac etiam edidit Iacobus Marcuccius; quorum alterum habetur etiam inter Icones a Heronymo Franzinio editas (3). Hiſce Aedibus aliae adhaerent prope ulmi cloacam, quae Bartholomaeum Brecciolium architectum agnoſcunt. Hinc ſequuntur aliae a Ludovico Matthaeio (ſi Philippo Titio credimus) aedificatae anno CIↃIↃLXIV. ante Divae Luciae Templum, ſed ab Alexandro Matthaeio exſtructae, ſi earum foribus inſcriptum lemma attendamus, ut revera attendi debet (4), Bartholomaeo Amannatio, ut nonnullis placet, vel Claudio Lippio, ut alii cenſent, formam aedificii praebente. Earum interiora cubicula Franciſci Caſtellii picturis diſtinguuntur. Has vero nunc tenent Caietani Duces, qui ſibi ipſis compararunt, quemadmodum & Nigronios, & Duratios, & Serbellonios dominos pro diverſis temporibus eaedem antea agnoverant (5).

XV. Ve-

(1) *Antiquar. Statuar. Vrbis Romae Libri* III. *Romae* 1623., edidit Iacobus Marchuccius in fol. Lib. III. Tab. 93.

(2) Ibid. Tab. 94.

(3) *Icones Statuar. antiquar. Vrbis Romae Hieronymi Franzini Bibliopolae ad Signum Fontis opera. Romae* 1589. *in* 12.

(4) Quare hoc loco correcta volumus, quae a Titio decepti temere diximus Tom. III. Claſſ. VIII. Tab. XLVII. Fig. I. pag. 87.

(5) Vid. *Deſcrizione delle pitture, ſculture, e architetture eſpoſte al pubblico in Roma, opera cominciata dall' Abate Filippo Titi &c.* pag. 86. ſino a 90., tum etiam *Itinerario iſtruttivo diviſo in otto*

XV. Verum non id nos nunc agimus, ut has veluti appendices Aedium Matthaeiarum describamus; Potiori namque iure ad se nos avocant, quae & magnificentiores, & splendidiores sunt iuxta dextrum latus Ecclesiae, & Monasterii S. Catharinae de Funariis, quaeque Asdrubalem Matthaeium Cyriaci fratrem auctorem habent. Id docet inscriptio in cavaedio exsistens, quae ita se habet:

ASDRVBAL . MATTHAEIVS . MARCHIO . IOVII
VETERVM . SIGNIS . TAMQVAM . SPOLIIS
EX . ANTIQVITATE . OMNIVM . VICTRICE . DETRACTIS
DOMVM . ORNAVIT . ET . PRISCAE . VIRTVTIS . INCITAMENTVM
POSTERIS . RELIQVIT . ANNO . DOMINI . CIƆIƆCXVI

Carolus Madernius architectonicum opus rexit, & interiora cubicula suis pennicillis exornarunt Franciscus Albanius, Iohannes Lanfranchius, & Dominicus Zampierius. Pictae vero tabulae etiam exstant hinc inde dispositae, quae Casparis Caelii, Christophori Roncallii, Iacobi Trigae, Caroli Saracenii, Hieronymi Mutianii, Michaelis Angeli Morigii, Guidonis Renii, Ioh. Francisci Barbierii, Petri Paulli Gobbii, Petri Berettinii, Michaelis Angeli Bonarotii, Valentini Galli, aliorumque opera praedicantur. Ast nulla res & celebriores, & praestantiores fecit has Aedes, quam veterum monumentorum undique dispersorum praeclara congeries. In cavaedio namque, scalis, ac peristylio signa, protomae, anaglypha, cippi, aliaque huiusmodi occurrunt, quae summatim innuere sat erit. Cavaedium habet praesertim Signa Apollinis Sagittarii, & Herculis, tum Romanorum Impp. Iulii Caesaris, Caligulae, Claudii, Neronis, Domitiani, aliaque Gladiatorum. Inter Anaglypha spectandum praecipue venit sacrificium Capitolinum, & Militum Praetorianorum seditio. Hinc

to stazioni, o giornate per ritrovare con facilità tutte le antiche, e moderne magnificenze di Roma &c. di Giuseppe Vasi n. 193. pag. 198.

Hinc ſi exitum quaeras verſus Divae Catharinae Templum, habebis Nymphas marinas a delphinis, ac tritonibus vectas, Bacchi, & Ariadnae nuptias, & Muſas defuncto Poetae famulantes, quas marmore inſculptas cernas. Si vero meridiem verſus egredi lubeat, occurrent Amores Deorum victores, Polyphemus, & Galathea, Sphinx ſcopulo inſidens, & Oedipum aenigma ſolventem auſcultans (1), tum Bacchi, & Herculis uterque thronus marmoreis tabulis expreſſi. Si ad porticum retrocedas, & ibidem conſiſtas, & Deum Mithram, & Hylam a Nymphis raptum anaglyptico opere exhiberi intueberis. Si ſcalas aſcendas, Bacchans occurret, dein Fortuna, tum Iuppiter Signis expreſſi; hinc parietes ornatos conſpicies Anaglyphis referentibus utramque venationem Commodi, & Philippi Impp., ac Pelei, & Thetidis nuptias; ac tandem ipſos ſcalarum gradus identidem diſtinctos offendes pulvinaribus, quae quaternario numero inventa ad Curiam Hoſtiliam & ſuperius, & ſuo loco monuimus. Iam ventum ad periſtylium, quod aulam reſpicit, atque heic pedem figens ſuper aulae poſtes cerne viri incogniti Protomem, tum ſeorſim Aeſculapii Signum ad laevam, quod medium habent columnae duae marmoreae, quibus Cybelis duo Sigilla ſuperſtant, tum aliae ſimiles e regione adſtant duo pariter Cybelis Sigilla ſuſtinentes. Hinc duae aliae columnae ad poſtes diſpoſitae, totidemque contra ſtantes capitulis caniſtriformibus inſtructae; tum iacens inferne ante Aeſculapii Signum Sarcophagus vindemiali opere inſignitus, ac muris appicta Anaglypha, quae referunt tabulam Heliacam, Priami occiſionem, & ſacrificium taurile Iovi, & quatuor anni tempeſtates. Ex hoc loco ſpectare licet cavaedii parietibus inhaerentia hinc inde cetera praeclara Anaglypha, quae nimirum rurſus exhi-

(1) Hoc Anaglyphum ab operis noſtris omiſſum eſt, caruitque aeneo typo, quo ipſum Lectoribus noſtris exhiberemus.

hibent Pelei, & Thetidis nuptias, & Proſerpinae raptum, tum Venerem concha vectam, pompam Iſiacam, aliam Bacchicam, Orpheum cantu mulcentem animantia, Meleagri, & Atalantae fabulam, Bacchi, & Ariadnae nuptias, ſacrificium Iovi, & Iunoni, Antilochum Patrocli mortem Achilli nunciantem, tabulam votivam Aeſculapio, Hygiae, Fortunae, & Baccho, aliaque bene multa, quibus ſcientes parcimus. Quare etiam memorare ſingillatim negligemus plures praecipue cippos, aliaque marmorea monumenta, quae in ambulacro ſubdiali, quo cavaedium veluti bipartitum cernitur, adſervantur. Aeſculapii, & Hygiae, aliaque iacentia Sileni, Fluminis, ac Somni Signa heic ſparſim diſpoſita tantum indicaſſe ſit ſatis. Si celebrem, ac ſingularem prorſus M. Tullii Ciceronis Protomen innuerimus in Aedium pinacotheca exſiſtentem, nil erit reliqui, quod exponamus; ſiquidem interiora cubicula omni carent antiquitatis ornamento.

XVI. Neque etiam haec ipſa tam egregia vetuſtatis monumenta & illuſtratoribus, & laudatoribus caruerunt. Videas ſiquidem praeſtantiora Anaglypha adducta a Sponio, Montfauconio, Bellorio, Aleandrio, Spenceio, Winckelmannio, aliiſque; multaſque veteres Inſcriptiones fere ab iis omnibus editas, qui eas in unum collegerunt, quoſque ſuperius citavimus, cum de Hortorum Caeliorum monumentis ſermonem haberemus. Nec tacuerunt exteri Scriptores, noſtrique etiam Topographi, praeſertimque Ficoronius (1), Venutius (2), Vaſius (3), & Titius (4) coactam heic tantam & monumentorum, & elegantiarum congeriem. At deſiderandum inſuper erat, has Aedes, utpote quae ſeorſim ab Hortis Muſeum referant locupletiſſimum, illuſtratore, ac tantae ſupellectilis editore haud carere. Iam porro hanc ſortem tulerant & Iuſtinia-

(1) *Le ſingolarità di Roma moderna* Cap.VII.p.63.
(2) *Roma moderna* Tom. II. pag. 358.
(3) Loc. cit. n. 193. pag. 198.
(4) Loc. cit. pag. 86., e 461.

nianearum Aedium Tablinum (1), & Museum gentis Odescalchiae (2), & Antiquitates, ac ornamenta alia Aedium Barberiniarum (3), nec qualemcumque etiam desideraverat descriptionem ipsum Strotianae domus Museum (4); quibus nunc haud inferiores erunt Aedes Matthaeianae, eisque adnexa venerandae vetustatis cimelia.

XVII. Ast utinam & Horti, & Aedes Matthaeiorum, eisque adiuncta monumenta eum nacta fuissent illustratorem, & editorem, qui eorumdem praestantiae, ac dignitati par esset. Si exiguum quidem ingenium nostrum, cui eadem concredita, perpendatur, dolendum inprimis est eorumdem exornationem, promulgationemque nobis potissimum obtigisse, tum in ea incidisse tempora, in quibus variis distrahebamur studiis, & occupationibus longe quidem inter se dissitis, ut edita interim per nos opera satis ostendunt. His accesserunt multarum morarum interiecta impedimenta, ob quae nobis in medio veluti cursu distentis tum mentis alacritas, tum propositi nostri unitas, quae ab assidua systematis, & methodi recordatione, & exsecutione pendet, identidem minui, turbarique videbatur. Fluxerunt iam XII., & amplius anni, ex quibus hanc provinciam suscepimus, quam quidem per hoc tempus tot vicibus & assumpsimus, & intermisimus, ut saepe iam exantlatos labores instaurare, & multos mox in irritum cessuros absumere cogeremur. Non hoc tamen nostra culpa factum quis credat, quibus operis ardor, & sedulitas sit

(1) *Galleria Giustiniana del Marchese Vincenzo Giustiniani Par.* I. *Tavole* CLII., *e Par.* II. *Tavole* CLXVII. 1631. *in fol.*

(2) *Marmi, Statue, Camei, ed altro esistenti negli Appartamenti, e Galleria dell'Eccmo Sig. D. Livio Odescalchi Duca di Bracciano, e Nipote d'Innocenzo PP. XI. in fol.* 1702. (Trasportati in gran parte in Aranquez). Hinc prodiit *Museum Odescalchum, sive Thesaurus antiquarum Gemmarum &c. Accesserunt aerea Deorum, ac Dearum idola, marmorea item anaglypha, monumentaque alia plura &c.* (Illustratore Henrico Brulaeio, & Nicolao Galeottio) Tom. II. *Romae* 1751. *in fol.*

(3) *Dominici Pazaroli Museum Barberinum. Romae* 1656. *in* 4. *Hieronymi Tetii Aedes Barberinae ad Quirinalem. Romae typis Mascardi* 1642. *in fol.* A pag. 197. incipit recensio veterum Protomarum, & Signorum usque ad pag. 220.

(4) *Descrizione del Museo Strozzi, di Gio. M. Crescimbeni, fra le Prose degli Arcadi.*

ſit maxime in deliciis, quoſque properatio ad finem tamquam ex naturae incitamento urgeat vel in ipſa rerum auſpicatione. Non hinc tamen excuſationem petere nobis mens eſt aut oſcitantiae, aut negligentiae noſtrae; ſed id potiſſimum nunc monitum voluimus, ut diverſorum temporum, quibus noſtrae per univerſum opus diſſeminatae aſſertiones reſpondent, quae omnino neceſſaria eſſet, ratio haberetur. Quare Lectorum noſtrorum humanitate confiſi non aliud nunc exponere ſatagemus, quam totius noſtri operis texturam, vel proſpectum, quem quidem paucis expediemus.

XVIII. Illuſtrandae ingenti huic veterum monumentorum collectioni manum iam admoverat Rodulphinus Venutius Patritius, & Academicus Etruſcus Cortonenſis, Nicolai Marcelli Marchionis, & Philippi Praepoſiti Liburnenſis Virorum Cll. frater, Benvenuti Ioſephi Marchionis, a cubiculo Petri Leopoldi Magni Ducis Etruriae, Socii, & Amici noſtri ob ſuam virtutem, ac ſuavitatem ſpectatiſſimi patruus, Romanarum antiquitatum Praeſes, ac Vir denique multis eruditis, doctiſque editis Voluminibus longe notiſſimus. At vix opus hoc aggreſſus fuerat, cum ecce mors ipſum peremit a. d. III. Kal. Aprilis anni CIƆIƆCCLXIII., nec ultra primi Voluminis Tabularum, quae Statuas comprehendunt, illuſtrationem proceſſit. Factum interim eſt, ut onus in nos conlatum fuerit adornandae quartae Bellorianae editionis *Veſtigii veteris Romae*, & ſex Tabularum anecdotarum elaborandae Appendicis (1); quae licet ab imperita, ac iuvenili prorſus manu profectae tunc forent, cum tamen aliquod approbationis ſuffragium a doctis viris obtinuiſſent, in cauſſa fuerunt, cur oculi in nos coniicerentur, & digni, qui in Venutiani ope-

(1) Haec omnia paraverat etiam ante nos Ioh. Bapt. Piraneſius initio Tom. I. Antiq. Roman. uſque ab anno 1756., ſed ut Opus omne abſolveret, & una ederet univerſum, priorum Voluminum publicationem retardavit, & noſtrae editioni temporis principatum reliquit.

operis complementum ſuccederemus , inſuper haberemur. Quare ipſius apographum, quod & emandatum, & aliqua etiam ſui parte reformatum fuerat a Contuccio, olim Kircheriani Muſei Praefecto, & deletae Loyolitarum Societatis Alumno, mox vita functo, traditum nobis fuit, quod antequam iterum expenderemus, univerſos archetypos monumentorum, quae tum in Hortis Caelimontanis, tum in Aedibus urbanis Matthaeiorum adſervabantur, ſingillatim inviſendos, ac pene contrectandos a nobis eſſe cenſuimus. Verum ut id ea ſedulitate, ac fere ſecuritate abſolveremus, quae nos vel ab oſcitantia, vel ab ingenii licentia immunes faceret, ſocios nobis adiunximus Ioh. Baptiſtam Vicecomitem Romanarum Antiquitatum Praeſidem meritiſſimum, eumdemque doctiſſimum, atque ipſius filium Ennium Quirinum vix ex ephebis egreſſum, ob miram veteris eruditionis peritiam, qua inter cetera diſciplinarum ornamenta praecellebat, plurimi aeſtimandum, nunc vero in dies & ſcientia, & fama magis inclareſcentem, & PII VI. P. O. M. a ſecretiori cubiculo, qui mihi ſcilicet praeſto eſſent, quaeque forent vel adnotanda, vel conſtabilienda, diſcuſſis ſententiis, & omnibus naviter expenſis, una mecum decernerent. Multa ſane Venutius ſtatuerat, multaque etiam publica voce invaluerant, quae typis expreſſa iam apud vulgum fidem omnem obtinuerant. At nos veritatis unice ſolliciti, & ſymbola omnia, & vultuum lineamenta iuxta critices regulas, & ope ceterorum monumentorum expendentes, multa immutanda, atque aliter exponenda cenſuimus. Hinc factum eſt, ut multae Statuarum illuſtrationes, quas I. Volumen complecti debebat, expunctae fuerint, eiſque noſtras ſubrogandas curaverimus. Hinc etiam factum, ut ceteras ſive inſcriptiones, ſive nomenclaturas, quas nonnullis Tabulis, ex quibus reliqua Volumina compingi debebant, iam ipſe

adle-

adleverat, eidem etiam cenſurae, ac reformationi ſubiecerimus. Quid hac in re a nobis geſtum fuerit, ſupervacaneum erit nunc exponere, cum haec quidem illuſtrationes, & adnotationes noſtras legentibus patere facile poſſint. Ac ſane multa etiam ex Venutii explicationibus ſuperflua, vel nimis nota amputavimus, Graecum textum adductis ex Latina verſione Graecorum Scriptorum locis adiunximus, & omnia in eum ordinem, quem nobis propoſuimus, accurate redegimus. Nec etiam minorem inſumpſimus diligentiam, ut Scalptorum erratis, quae commode licebat, medicina aliqua per nos fieret. Multae ſane Tabulae non omnino eleganter caelatae occurrunt, quum non omnes vel immutare, vel expolire in noſtra eſſet poteſtate. Ceterum id ſaltem curavimus, ut Caeſarum, ceterorumque imagines ſatis cognitae ad veram vultus, quae in autographo haberetur, formam redigerentur, ceteraque omnia ſuis prototypis apprime reſponderent. Nec alia ſane poſt opus a Scalptoribus omnino abſolutum, antequam nos hanc provinciam ſuſciperemus, ſollicitudo nobis relinquebatur.

XIX. Sed iam qui ordo a nobis ſervatus fuerit, innuamus. Numina quidem praecedere aequum erat, tum ut Divinitati, quae his etiam indiciis a gentilitate petitis adſtruatur, in primis litaremus, tum ut veterum ethnicorum, quorum monumenta tractamus, ſacro inhaereremus ſyſtemati. Quare Numina ipſa, quae Statuis expreſſa habebamus, cum alia maiorum gentium, eademque ſelecta, inſignia, & eximia cenſerentur, alia vero minorum gentium, eademque adſcriptitia, minuſcularia, & putatitia dicerentur, in ſuas claſſes diſtribuere ſtuduimus, ut proinde ſuus cuique honor olim etiam redditus ſervaretur. Hinc Caeleſtes Deos primae Claſſi adſignavimus, Terreſtres ſecundae, Silveſtres tertiae, Semideos, ſive

ſive Indigetes quartae, ac quintae demum Deas Virtutes. Tum Diis eorum Miniſtros, & Sacerdotes ſubiunximus, quibus in Claſſe ſexta factus eſt locus. Sacerdotibus ſuccedunt Magiſtratus, ac proinde ex temporum ratione Conſules ſeptimam Claſſem obtinuerunt. His ſubnectuntur Imperatores Romani, quibus Claſſis octava occupanda obtigit. Barbari Reges nonniſi pone eorumdem domitores collocandi erant, atque hinc Claſſe nona ipſos comprehendi opus fuit. Decima Miſcellanea continet; undecima Statuas iacentes. Atque haec eſt totius I. Voluminis, quod CVI. Tabulis conſtat, diſpoſitio. Non abſimili ratione ſecundum digeſtum eſt, quod XC. Tabulas continet, quodque in Protomis, Hermis, Clypeis, & nonnullis Anaglyphis ſimplicioribus referendis verſatur. Hinc Protomarum Deos exprimentium Claſſis prima; tum Protomarum Heroas, & Viros illuſtres praeſeferentium Claſſis ſecunda; dein earumdem Imperatores, & Auguſtas repraeſentantium Claſſis tertia; ac tandem Imperatores Germanicos ſaeculi XV., & XVI. exhibentium Claſſis quarta. Sequitur Claſſis quinta, quae Capita incognita; ſexta, quae Hermas, ſeu Terminos; ſeptima, quae imagines quadratis, & rotundis figuris incluſas; octava, quae Anaglypha cum variis hominum, & mulierum imaginibus; nona, quae figuras anaglypticas ſingulares; decima, quae trophaea, pulvinaria, capitula, baſes, truncos, & candelabra; ac tandem duodecima, quae larvas ſcenicas, & cetera monumenta miſcella continet. Sed iam tertium Volumen procedit, quod Anaglypha, Sarcophagos, Cippos, & Inſcriptiones complectitur, ac ex Tabulis aeneis LXXIV. coaleſcit. Ordo Claſſium etiam in hoc ipſo Volumine ſervatus eſt, ut proinde prima comprehendat Deorum imagines; ſecunda Fabulas ad Deos pertinentes; tertia Bacchanalia; quarta Monumenta Aegyptiaca; quinta Monumen-

numenta Graeca ante bellum Troianum; ſexta eadem poſt ipſum bellum; ſeptima Monumenta Romana hiſtorica; octava ritus, mores, & artes veterum; nona Sarcophagos, & Urnas ſepulcrales; ac decima tandem veteres Inſcriptiones, quae inſuper ordine, quem Gruterius, ceterique invexerunt, diſpoſitae a nobis ſunt, ac proinde in XIV. Sectiones digeſtae conſpiciuntur. Eaedem CCCXXXII. plus minus numerantur, & earum fere omnes ab aliis editae iam fuerant. Neque nos eas dumtaxat, quas in Hortis, & Aedibus Matthaeiorum deprehendimus, proferre ſtuduimus, ſed inſuper eas omnes huc revocavimus, quas olim ibidem exſtitiſſe vel nos ipſi cognoveramus, vel ex earumdem collectoribus conſtabat; ne in hac noſtra Monumentorum congerie quidquam deeſſet, quod olim & celebres, & praeſtantes Hortos noſtros potiſſimum effecerat. Indices etiam Inſcriptionibus ſubiecimus, quorum primus Scaliger exemplar propoſuit in Gruteriano theſauro. His tandem ſubiunximus generalem etiam omnium potiorum, quae III. hiſce Voluminibus continentur, rerum Indicem, cuius praeſidio, quodcumque opus eſſet, a Lectoribus noſtris inveniri poſſet.

XX. Haec eſt univerſa Operis noſtri compages. An vero ſingula pro dignitate praeſtiterimus, non noſtrum eſt iudicare. Id tantum affirmare poſſumus, omnes tum animi, tum ſedulitatis nervos nos intendiſſe, ne vel aliquam muneris noſtri partem neglexiſſe, vel a ratione, ac luce, quae peculiares habentur ſaeculi XVIII. dotes, ac notae, quaeque ſingulas facultates attingere aequum eſt, quidquam abſonum admiſiſſe videremur. Quapropter id nobis propoſuimus, ne in re plerumque dubia, & ancipiti vel ſomnia, vel commenta in ſcenam produceremus. Qui enim vel natura duce, vel cogitandi arte magiſtra veritatem conſectari, & rerum eviden-

tiae

tiae insistere didicit, aegre sane fertur vel ad incerta, vel ad cerebrosa. Saepe igitur contenti fuimus varias Antiquariorum sententias proferre, & intactum simul argumentum relinquere, ne videremur novam tantum opinionem in ceterarum acervum inducere, vel coniecturas coniecturis addere. Quid enim insuper congesta vel vacillans opinio, vel levis coniectura, aut etiam audax paradoxum litterarum incremento conducit? Pabulis hisce quidem suavissimis fruantur, quibus in re quaque levissima sibi plaudere, etymologiis abstrusiora quaeque definire, remotiorum aetatum aenigmata solvere, sequiorum temporum ruditates ingerere, nugarum series ostentare, umbras pro corporibus amplexari, carbones pro unionibus vendere (qui est antiquariae facultatis abusus longe eliminandus) volupe est. Nos certe, qui animi caussa, & ultro delatae occupationis occasione, huiusmodi studio vacavimus, haud sane operae nostrae poenituit, qui nimirum solidas historiae, chronologiae, veterum linguarum, artium, ac rituum utilitates unice spectantes aliquam videmur & nostris notionibus, & famae quinetiam accessionem fecisse, tum amplissimae huius Urbis, veterum elegantiarum undique feracissimae, incolatum gratiorem nobis, & iucundiorem praestitisse. Quare ab omni ingenii licentia, quae vel veritatis criterio adversaretur, vel quae nullo tum rationis, tum auctoritatis valido fundamento niteretur, semper abhorrere nobis solemne fuit; ac quidquid, vel omnibus tacentibus, vel omni deficiente exemplo, a nobis proferendum fuit, nonnisi modeste, & fere cum trepidatione proposuimus. Rati insuper ex monumentorum inter se collatione, quae vel rerum affinitate, vel quacumque alia ratione sibi invicem responderent, veram plerumque prodire posse significationem, vel receptis scriptorum sententiis maius etiam posse robur accedere,

dere, id praeſertim curavimus, ut quae ſimilia in ceteris Muſeis, & in ipſis Antiquariorum libris exſtant monumenta, tamquam conſtantis, & indubiae veritatis vadimonia proponeremus. Nihil enim magis valet ad iudicium de re aliqua tum ob vetuſtatem, tum ob obſcuritatem incerta quoquo modo iuſte, recteque ferendum, quam conſtans monumentorum conformatio, & eorumdem accurata comparatio. Haec fuit inſtituti noſtri ratio, cuius ſane ope ſi quid dignum hac luce elicimus, id totum veritatis, & certitudinis, quam gerimus, notioni acceptum eſt referendum; ſin minus, haud fateri nos pudebit, impares nos huiuſmodi ſtudio fuiſſe, quod aliorum gratia, non noſtro marte excoluiſſe ingenue profitentes aliquam ſaltem veniam hoc ipſo nomine conſecuturos confidimus. Qui legis, feliciter vale.



IN-

INDEX TABULARUM

Quae in hoc I. Statuarum Volumine continentur.

CLASSIS VII.
Quae continet
CONSULES.

CLASSIS VIII.
Quae continet
IMPERATORES ET AUGUSTAS.

CLASSIS IX.
Quae continet
REGES BARBAROS.

CLASSIS X.
Quae continet
MISCELLANEA.

CLASSIS XI.
Quae continet
STATUAS IACENTES.

ERRATA	CORRIGE.
pag. XXXII. referre.	referri.
pag. 42. TAB. XLIII.	TAB. LIII.
pag. 45. Florentia.	Florentiae.
ibid. Sebaftianus Blanchius.	Iofephus Blanchius.
pag. 63. Franc. Ant. Gorium.	Ant. Franc. Gorium.
pag. 79. *fere*.	*ferre*.
ibid. not. 2. *cap.* 102.	*cap.* 101.
pag. 88. Tubere.	Tibure.
pag. 107. col. I. quos Etrufcis in manibus funt.	qui Etrufcis in manibus funt.
ibid. Enomao.	Oenomao.
ibid. col. 2. onorabant.	honorabant.
pag. 109. PALLIATA.	STOLATA.

ROMAE . SEPVLTAE . HINC . INTVERI . IMAGINEM
ARCVS . THEATRA . ET . IMPERII . VIRES . LICET
VRBIS . ET . ORBIS . LVMINA . ET . MIRACVLA

Aurel. Ursius Carm. Lib. III.
Epig. 32. p. 74. in Hortos
Matthaeiorum.



S T A T U A R U M

C L A S S I S I.

Q U AE C O N T I N E T

D E O S C AE L E S T E S.



TAB. I.

I U P P I T E R.

VENUTIUS



UPPITER ſtans, pallio ad talos demiſſo: Dextera fulmen oſtentat; ſed placatus vultus, & ſerena frons Jovem Milichium, & Hiceſium (1), ideſt *placabilem*, & *ſupplicibus praeſidem* innuunt. Ariſtoteles, ſeu quiſquis fuit Auctor Libri de Mundo (2), inter multa Jovis cognomina haec etiam enumerat. Hoc nomine Signum illi e candido marmore Polycleti celeberrimi Statuarii opus (3) Argis in Templo Apollinis Lycii fuit dedicatum; Item Ara trans Cephiſum amnem conſecrata, ad quam Theſeus per Phithadi poſteros a caede purgatus dicitur (4). Plures veteres nummi Hiceſium hunc Iovem exhibent,

(1) Μειλίχιος, καὶ Ἱκέσιος.

(2) *Cap.7.pag.615.Ariſtotel.Oper.T.I.Edit.Pariſ.1609.*

(3) *Pauſan. in Corinthiac. Lib. XX. pag. 119.*

(4) *Id. in Attic., ſeu Lib. I. pag. 69.*

bent, inter quos argenteus Neronis, in quo tamen legitur *Juppiter Custos* (1). Eiusdem oris habitum, faciemque, ac proinde huius Statuae formam eleganter descripsit Homerus (2):

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο.

Dixit, & nigris superciliis annuit Juppiter,
Immortales vero capilli vibrati sunt Regis
Capite ab immortali.

Ex quibus versibus Statuam Jovis Olympici formam accepisse, confessus est Pausanias (3). Vestem Juppiter noster eleganter demittit in genua, quae immutabilem eius soliditatem exprimit, eiusque virtutem Caelestibus tantum, ac intellectualibus partibus patentem; Reliquo corpore contecto, ut iudicaretur occultari nobis mortalibus humi degentibus, uti ex Eusebio (4) advertit Fabrettius (5).

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

(*) Habeo, quid reponam Venutio. Cum fulmen semper irato Jovi, & criminum ultori tribuatur, sceptrum vero placido Jovi, & Patri Deûm, & hominum, non video, quomodo heic Venutius Jovem fulmine instructum Milichium, & Hicesium inscribat. Hinc recte observat Schottius *Homer. Apoth. Explic.* pag. 312. Tom. II. Polenii, Jovem, qui cernitur in Apotheosi Homerica, pro Heliconio, aut Milichio habendum esse, quod nimirum careat fulmine, & sceptro donetur. Vide Tom. IV. Picturarum Herculanensium Tab. I., & Academicorum adnotationem (4). Apud Gruterium pag. 21. n. 6. habetur Inscriptio IOVI. FVLMIN. FVLG. TONANTI. Aliam habes apud Donatium pagin. 1. n. 8., quae sacra est I. O. M. FVLM. FVL. In nummo Seleucense Sept. Severi in Thesaur. Britan. Tab. XXXVIII. n. 5. legitur: ΖΕΥC. ΚΕΡΑΥΝΙΟC. *Juppiter Ceraunius*, idest *Fulgurator*. Ibi mensa, in qua fulmen cum laurea. Ceterum nullum Jovis praeclarius Signum, quam quod Graeco artifice elaboratum exstabat in Cavaedio Verospiorum, quod nuper pro Museo Vaticano comparavit CLEMENS XIV. Pontifex Optim. Max. studiosissimus veterum Monumentorum Conservator.

(1) *Apud Aen. Vicum pag.* 48. *Edit. Rom.* 1730. (2) *Homer. Iliad. α. v.* 528. (3) *Vid. Politian. Praelection. in Homer.*
(4) *Euseb. Praepar. Evang. Lib. III.* (5) *Fabrett. ad Columnn. Traian. pag.* 319. *in supplement.*

TAB.

TAB. II.

APOLLO CITHAROEDUS.

VENUTIUS

Elegantiſſimo artificio ſculptum eſt hoc Apollinis Signum. Sedet Deus in trunco, dextera manu capiti ſuperimpoſita, ſiniſtra Lyrae innixus. Quidam Apollinem Lyrae repertorem aiunt (1), alii Mercurium (2). Septicordem fuiſſe Lyram Orphei, canit Virgilius (3). Mercurius teſtudinem adiecit, quam poſteriores aetates uſurpavere. Vidimus in antiqua Bellorii lucerna (4) Apollinem hoc Lyrae genere ludentem, quae potius Cithara dici poteſt. In hac Statua Lyra immutata videtur, vix retenta teſtudine, & contractis cornibus in manubrium, quod recipit magades quampaucos ad ſonos eiuſdem chordae variandos. Fere ſimile exemplar eſt in veteri Anaglypho Noſocomii Lateranenſis, quod hodie ſervatur in Aedibus Juſtinianeis (5), Lyra plectro, & digitis tangebatur ad triplicem modum harmoniae, Doricum, Lydium, & Phrygium (6). Septem tantummodo chordae in uſu erant, quibus omnes modulos reſpondere, compertum eſt. Id tam religioſe apud Atticos ſervabatur, ut quae ultra hunc numerum eſſent, tolli neceſſe eſſet Magiſtratuum Edicto. Quamquam hendecachordem Lyram a Timotheo adinventam memorat Scaliger (7), cui tamen par ignominia, ac Phrynidi contigit ex Ephorum decreto, quod idem recitat acceptum a Boethio (8): Productus ſcilicet in Comitium iuſſus eſt manibus propriis quatuor ſuperfluas chordas amputare, ut ſeptem priſcae tantum eadem in Lyra ſupereſſent.

TAB. III.

APOLLO CITHAROEDUS.

VENUTIUS

Lyra, quam trunco appoſitam Apollo ſuſtinet in hac Tabula, ex eo genere eſt, quae Tetrachordis dicitur. Hanc Apollini Clathrae Sponius (9) tribuit in Anaglypho, quod refert. Eadem a Polluce vocatur Panduria (10). Huiuſmodi eſſe Lyram Amphionis

(1) *Macrob. Saturn. Lib. I., Aleander in Expoſit. Anaglyphi Solis pag. 36.*

(2) *Scaliger ex Higyn. in Comment ad Sphaeram Manil. pag. 380.*

(3) *Lib VI. Aeneid.*

(4) *Pag. 2. num. 14.*

(5) *Boiſſard. T. II. pag. 145., & apud. Gruter. pag. 819.*

(6) *Scaliger ad Manil. pag. 383.*

(7) *Id. pag. 384. loc. cit.*

(8) *In I. de Muſica.*

(9) *Spon. Miſcell. pag. 87.*

(10) *Vid. Gloſs. med., & inf. Latin. Du-Cangii.*

nis, videmus, licet chordae desint, in praeclaro Dirces Symplegmate, quod apud Aedes Farnesianas Romae servatur. Hanc Aegyptii [1] Mercurii propriam faciunt, contradicente Macrobio [2], qui tetrachordonei tribuit. Quatuor certe chordarum Lyram Phoeniciam fuisse, narrant Scriptores, quos Caesius refert in Caelo Astronomico-Poetico, & Caelius Rhodiginus [3], aliique. Mercurii quoque tetrachordum affirmat Nicomachus Zerasenus usque ad Orphei tempora retentum fuisse. Orpheum quidem cum hac quatuor chordarum Lyra observavimus in antiqua Pictura Coenatorii Sancti Callisti Pontificis ab Arringhio edita [4]; quamvis in altero monumento idem cum pentachordo exhibeatur [5]. Veterem hanc Mercurii, & Orphei Lyram auctam deinde fuisse, narrant Mithologi, & a quatuor chordis ad septem excrevisse. Quintam igitur addidit Choraebus Lydiae Regis Filius; Sextam Hyagnis Phryx [6]; Septimae auctor, qui fuerit, incompertum est. Ex anaglypho Villae Matthaeiorum, quod suo loco exhibebitur, Pentachordi exemplar dabimus. Sed inspicienda collectio Lyrarum est, quas Eques Petrus Leo Ghetius in suo Museo eleganter descripsit.

TAB. IV.

A P O L L O.

VENUTIUS



Pollinis Imago praeclarissima hic exhibetur concinno crine, ac feminarum more discriminato: Huic enim Deo muliebris facies, aeque ac vestitus etiam tribuitur ad imitandam Solis formositatem; Namque [7].

aeterna est Phoebo, Bacchoque iuventa,
Et decet intonsus crinis utrumque Deum.

Inter Apollinis insignia Lyra ponitur, quae caelestis harmoniae imaginem praesefert, uti Auctor est Servius [8], & Aleander [9]; Hinc Lyram inter sidera quoque Astronomi collocarunt, & in nummis Apollinis imagini iungitur [10].

TAB.

(1) *Caesius in Caelo Astronom. pag.* 187., & *Diodor. Sic. Lib. I.*
(2) *Saturnal. Lib. I. cap.* 19.
(3) *Caelius Rhodiginus Lib. IX. cap.* 4., *Bochart. de Litt.*, & *sermon. Phoenic. Lib. II. cap.* 7.
(4) *Rom. subter. Tom. I. pag.* 563.
(5) *Eod. loc. pag.* 547.
(6) *Caesius pag.* 186.
(7) *Tibull. Lib. I. Eleg.* 4. *v.* 33.
(8) *Servius ad Virgil. Eclog. V.*
(9) *Tab. Heliac. explic. apud Graev. Thes. Antiquit. Roman. Tom. V.*
(10) *Numm. Veron. ap. Aen. Vic. edit. a Bellor., Vaillant., Num. Graec. in numm.* ΛΑΡΑΝΔΕΩΝ.

TAB. V.

APOLLO PYTHIUS.

VENUTIUS

Pollo Pythius in hac elegantiſſima Statua repraeſentatur imberbis, ac praeter coronam lauream, qua crinis intonſus adſtringitur, & praeclaros calceos, omnino nudus. Siniſtra arcum fortaſſe olim tenuit: Dextera placide protenditur. Pharetra pendet e proximo trunco, per quem Serpens adrepit. Sagittae Apollini tribuuntur, quod nimio aeſtu (Sol enim ipſe eſt) magna mortalibus inferat damna, nempe peſtem, aut alia morborum genera. Quia vero temperatus Solis calor plurimum nobis affert utilitatis, Graeci finxerunt [1], Apollinem dextera Gratias geſtaſſe, quemadmodum ſiniſtrae arcum, & ſagittas aptabant. Ad haec laurea corona, calcei, pellis aliquando paſtoritia, ad arboris truncum appoſita pharetra, & arcus Paſtorem etiam Apollinem fuiſſe innuunt. Maximus Tyrus praeterea teſtatur [2], a Pictoribus, & Artificibus eum exhibitum fuiſſe Iuvenem nudum ἐν χλαμυδίου τοξότην *in parva chlamyde ſagittarium*: Artemque iaculandi cum Muſica, curſu, Medicina, & Divinatione eumdem inveniſſe, docet brevium Auctor Scholiorum in Homeri Iliadem. Quid ſi calcei ad Apollinis velocitatem oſtendendam ſunt pedibus appoſiti? Laurus Apollini tribuitur vel ad fabulam Daphnidis, quam is adamavit, in Laurum converſae ſignificandam, vel quod Laurus, & Serpens divini neſcio quid in ſe continere putabantur ad futura praeſagienda. Haec cum nota ſint, ſatis fuerit obiter attigiſſe.

TAB. VI.

APOLLO SAGITTARIUS.

VENUTIUS

Pollo arcum tendens ſagittis in hoc marmoreo Signo exprimi videtur, vultu tamen hominis alicuius fortaſſe, cuius nomen divinare non audeo. Nota eſt Fabula, qua Apollo Matris honorem propugnans foecundae Niobes liberos ſagittis confeciſſe traditur. Horatius ad Apollinem [3]:

Dive, quem proles Niobaea magnae
Vindicem linguae, Tityoſque raptor
Senſit, & Troiae prope victor altae
Phthyus Achilles.

Credo

(1) *Pauſan. Arcad. Lib. III.* (2) *Diſſert. 26. Vid. Aleandr. Tab. Heliac.* (3) *Od. 6. Lib. IV. v. 1.*

Credo Apollini Sagittifero maxime a Principibus honorem habitum, ut contra pestilentiam eius praesidio uterentur, cum eam ipse & immittere iratus, & propulsare placatus putaretur: Quin & Triboniani Galli numismata profert Occo, quibus inscriptum: APOLLINI SALVTARI; & alterum Volusiani cum Epigraphe: APOLLINI. CONSERVATORI. De peste ab Apolline immissa celebris est locus Homeri in primo Iliadis Libro; De ea propulsanda ita Horatius (1):

Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
Insignemque pharetra,
Fraternaque humerum Lyra.
Hic bellum lachrimosum, miseram famem,
Pestemque a populo, & Principe Caesare in
Persas, atque Britannos
Vestra motus aget prece.

TAB. VII.
APOLLO.

VENUTIUS



Pollo a Latinis Arcitenens, Sagittarius, Vulnificus, aliisque cognominibus eodem recidentibus vocatus est, quod arcu insignis, iaculandi peritia, & radiantibus sagittis esset celebratissimus (2); apud Sycionios vero absolute τόξιος appellatus videtur (3), sicut etiam τοξόφορος apud Graecos audivit. In Aleandri Tabula Heliaca Sol radiatus exhibetur arcu, atque pharetra post tergum reiectis (4); In Gallieni autem nummo est Centaurus Sagittarius cum Inscriptione APOLLINI. CONS. AVG (5), quia signum illud caeleste Soli consecratum est. Apollo in quadam gemma a nobis alias exposita ΟΣΙΩΣ appellatur, aut, ut nos legimus, ὅσιος, quod quidam *sanctum*, quidam *iustum* interpretantur: recte quidem utrumque; Occurrit enim in inscriptionibus (6), & numismatibus (inter quae illud est Pescennii Nigri non reticendum) Apollo, qui *sanctus* dicitur, quemque quasi *paciferum* videmus ramusculum dextera protendentem. Justus enim dictus Apollo, quod

(1) *Carm. Lib. I. 21. 9.*
(2) *Gyrald. Synt. Deor. Cap. VII. pag. 247.*
(3) *Pausan. in Phoc. Lib. X.*
(4) *Loc. cit. Thesaur. Antiq. Romanar. Graev. Tom. V. pag. 729.*
(5) *Ap. Tristan. Histor. Aug., & Morell. specim. Rei numm.*
(6) *In Gruter. Inscript., & passim in aliis Collectionibus.*

quod mortes ſubitas immitteret (1), & delicta hominum puniret (2), eoque ſenſu Homerus videtur ἀγανὰ βέλη bis ei tribuere (3), ideſt *mitia tela*. Ita explicandum puto Gazae Palatinae nummum (4), cuius in una area cernitur ΑΠΟΛΛΩΝ ΣΩΤΗΡ ſagittis, pharetra, & arcu armatus; in altera vero Lyra, quam Lauri corona ambit, & Epigraphe ΛΑΠΙΘΩΝ. Sic Lyram tenet cum SALVTARIS nomine in nummo Triboniani Galli apud Triſtanum (5).

TAB. VIII.

APOLLO.

VENUTIUS

IMberbis Apollo, intonſuſque apparet in hac Statua, crine concinno, & exornato. Conſtat enim, ut ait Lactantius (6), *Liberum, & Apollinem eſſe, & Solem; ideo iuvenes omnes imberbes, quia ignis non ſeneſcit*. Hinc Ovidius (7):

Tibi enim inconſumpta iuventus,
Tu puer aeternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris Caelo, Tibi, cum ſine crinibus adſtas,
Virgineum caput eſt.

Adſtat ſiniſtrorſum ad pedes Columella, ſive Ara, ſi quis ita velit eam dicere. Erant hae plerumque marmoreae, forma aut quadrata, aut rotunda, aut etiam triangulari, inſtar Tripodum. Quamquam Tripodes quidem vaſa fuerunt aerea, tribus ſuffulta pedibus, ut videre eſt in Muſeo Capponiano Collegii Romani, & in Capitolino. Duplex genus Tripodum diſtinguunt Scriptores, & varios eorum uſus recenſent, nec tamen omnes inter ſe conſentiunt. Verum ad rem noſtram ſufficit, quod Tripus dicta fuerit menſa marmorea in Templo Apollinis Delphici, cui ſuperimpoſita Phoebas vaticinabatur Apollineo ſpiritu afflata (8).

(1) *Homer. Iliad. α. v. 43., Strab. Lib. XIV.*
(2) *Cuper. de Harpocr. pag.* 113.
(3) *Iliad. ζ. v.* 205.
(4) *Beger. in Theſaur. Palat.*
(5) *Hiſtor. Auguſt., & Patin. Theſaur.*
(6) *Lib. IV.* 696.
(7) *Lib. IV. Metamor. ver.* 17.
(8) *Pauſan. in Delphic.*

TAB.

TAB. IX.

APOLLO, ET MARSYAS.

VENUTIUS

E Marmore ſane elegantiſſimo inſculptos a Paullo Oliverio non poſtremo ex Berninii Diſcipulis Apollinem, & Marſyam Hyagnidis e Phrygia Tibicinis Filium inſpiciendos praebemus. Hunc veſte ad pedes prolapſa, aegroque vultu, e manibus tamen licet poſt tergum adductis fiſtulam non demittentem Apollo vincire tentat, & e ſiniſtri brachii vulnere prius inflicto pellem deducere. Jacet humi Lyra, & cultrum, fortaſſe etiam capiſtrum, quo Tibicines os ſibi ſubſtringebant, de quo Scholiaſtes Ariſtophanis, & alii. Nonnulla alia Marſyae Signa adſervantur Romae in Gazis Virorum Principum, praecipue in Aedibus Barberiniorum, & Farneſianorum (1), aliorumque. Hoc, de quo loquimur, quamvis elegantiſſimo artificio, a nemine publici iuris eſt factum. Fabellam Marſyae habes apud Ovidium (2), ceteroſque Mythologos. Marſyae Statua olim Romae erat prope Puteal Scribonis (3), cauſſarumque Victores eam coronabant (4); Quod & Julia Auguſta fecit, cum in luxuria palmam tuliſſet (5). Eadem Statua manum attollens in Civitatibus iudicium libertatis fuit, uti ex Plinio, ac Servio (6) accepit Caelius Rhodiginius (7).

TAB. X.

MARS.

AMADUTIUS

Signum hoc Venutius inter Auguſtos locaverat, ac pro L. Vero Imp. expoſuerat. Verum cum nonnullis haud omnino eius facies in hoc Signo exerta videretur, ac Mars in eo potius cenſeretur expreſſus, heic nos ipſum proinde nunc ſiſtere, ac illuſtrare ſtatuimus; quamquam ſaepe Auguſtos ſub Deorum ſpeciebus, ac ſymbolis latuiſſe compertum ſit. Stat igitur Mars fere nudus antrorſum, pallio a pectore ad humeros reiecto, qui inſuper ſiniſtrum brachium elevat, & enſis capulum dextera manu tenet. Enſis namque tribuitur Marti ab Heſio-

(1) *Vid. in Vol. delle Statue di Roma in Chal. poſt. Pontif.*

(2) *Lib. VI. Faſtor., & Metamor. VI., Diodor. Lib. III. pag. 134.*

(3) *Horat. Lib. I. Satir. 6.*

(4) *Senec. de Benefic. Lib. VI. cap. 32., Plin. Lib. XXXI. cap. 3.*

(5) *Sveton. in Aug.*

(6) *In IV. Aeneid.*

(7) *Var. Lection. Lib. XXVII. cap. 12.*

Heſiodo [1], tamquam Deo militiae. In nummis quin etiam cernitur Mars cum haſta, & gladio, ut & in Gemma apud Begerium [2]; Quemadmodum cum parazonio inſuper, quod enſi Laconicae ſimile erat, ſpectandus venit apud Cauſſeum, & Montfauconium [3]. Ad dexterum femur Torax habetur, qui inter militaria munimenta cenſetur. Ad pedes vero Caſſis cernitur, quam una cum clypeo, & haſta Ovidius [4] Marti attribuit:

Bellica depoſitis clypeo paullíſper, & haſta,
Huc ades, & nitidas Caſſide ſolve comas.

Sic etiam Homerus [5] de Minerva, quae Martem armis exuit:

Τοῦ δ' ἀπὸ μὲν κεφαλῆς κόρυθ' εἵλετο, καὶ σάκος ὤμων,
Ἔγχος δ' ἔστησε στιβαρῆς ἐκ χειρὸς ἑλοῦσα
Χάλκεον.

Huius quidem a capite galeam dempſit, & ſcutum ab humeris,
Haſtam autem ſepoſuit erectam robuſta e manu ablatam
Aeream.

TAB. XI.

MERCURIUS.

ELoquentiae Deus nudus cernitur, palliolo dumtaxat ab humero dextero in ſiniſtrum reiecto, & circa laevum brachium contorto. In capite petaſum alatum gerit, dextera crumenam, ſiniſtra virgam, ſeu caduceum. Mercurio pennae tribuuntur, tamquam eloquentiae Numini; Unde Homerus [6] πτερόεντα ſolet eum appellare, ideſt *verba alata habentem*. Quod ad caduceum pertinet, ſciendum ab Apolline ipſum illi fuiſſe traditum remunerationis gratia, quandoquidem Mercurius Apollini Lyram prius donaverat. Huic caduceo vis inerat admiranda prorſus quaſvis controverſias dirimendi, quod primum patuit in duobus anguibus; in quos ex itinere cum incidiſſet Mercurius, virga interpoſita, conciliavit illico; hique mutuo nexu implicati haeſere deinceps eidem virgae, ſeu caduceo implexi. Mercurius primus eſt habitus, qui lucrandi modos oſtenderit; ideoque Mercatorum erat Deus. Hac ratione factum fuiſſe, ſcribit Suidas, ut crumena eius ſimulacro apponeretur.

VENUTIUS

(1) *Scut. Hercul. verſ.* 193., & 456.
(2) *Theſaur. Brand. pag.* 48.
(3) *Antiq. Expliq. Tom. I. Tab. LXVI.*
(4) *Faſt. Lib. IV.*
(5) *Iliad.* O. *v.* 125.
(6) *Homer. Hymn. in Mercur. v.* 434.

TAB.

TAB. XII.

BACCHUS.

VENUTIUS

BAcchus fingi aliquando nudus, imberbis, iuvenis, ac forma muliebri consuevit, ut in hoc Simulacro potissimum licet intueri. In eo enim forma muliebris est, crinis intonsus, & mulierum more depexus. Addit Nonnus (1) eum a Nutricibus puellari amictu indutum, ut Iunonem lateret:

Πῆ δὲ γυναικείην φορέων ψευδήμονα μορφὴν
Μιμηλὴ κροκόπεπλος ἐν εἵμασι φαίνετο κούρη
Ἀντιφανής· φθονερῆς δὲ παραπλάζων νόον Ἥρης
Χείλεσιν ἀντιτύποισιν ἀνήρυγε θῆλυν ἰωήν.

Saepe videbatur vultu fallente puella,
Cum croceum indutus peplum, pressisque labellis
Leniter arridens ipsissima virgo ferocem
Iunonem elusit, muliebri voce locutus.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Bacchus insuper in hoc Signo innixus cernitur trunco, cui dexterum cubitum aptat, quique racemis, & pampinis ex circum serpente vite prodeuntibus exornatur. Ad sinistrum femur alterum quoque racemum ipse manu sustentat. Nemo ignorat, haec Baccho vini Deo, & ebriosorum Patrono convenire, quaeque a Venutio attingenda videbantur, ne quid huius Signi descriptioni deesset.

TAB. XIII.

BACCHUS ASINO INSIDENS.

VENUTIUS

Odem modo, quo Bacchae solent, etiam Bacchus ipse aliquando videtur expressus, ut apud Claudianum (2) habemus:

Laetusque simul procedit Iacchus,
Crinali florens hedera, quem Parthica Tigris
Velat, & auratos in nodum colligit ungues,
Ebria Maeoniis figit vestigia thyrsis.

Bacchus in hoc elegantissimo Signo nudus, atque aspectu iuvenili cernitur, & hedera, vittisque redimitus. Sedet ore supinus super Asellum instratum Tigridis pelle non sine habenis, ac tintinabulo; sinistra utrem tenens,

(1) *In Dionysiac. Lib. XIV. vers.* 159. (2) *Lib. I. de Rapt. Proserp.*

tenens, dextera pedum, vel thyrſum, aut ferulam, quae eſt admodum arundini ſimilis: Eius vero folia Aſinis gratiſſima, ideo Aſinus Baccho aeque, ac Sileno proprius ſecundum Plinium (1), eo magis, quod vini cupidus habetur (2). Aelianus ad Bacchi currum non Centauros, ſed Onocentauros adiungit (3). Bonarotius in Anaglypho aereo Faunum profert cum fiſtula, Aſello inſtrato, & tintinabulo ad collum appenſo inſidentem (4). Habenis itidem vinctus ciſtas uvis plenas ferens obſervatur apud eumdem (5). Tintinabula ut plurimum collo Aſelli apponebantur, veluti nunc etiam eſt mos; cuius rei Bonarotius plura affert exempla (6). De his tintinabulis praeter Magium (7) videndus eſt Savaronus ad Sidonium Apollinarem (8), qui inter cetera refert Gothicam Legem, cuius titulus eſt: *Si quis tintinabulum involaverit de iumento, vel bove*.

TAB. XIV.

BACCHUS.

AMADUTIUS

Bacchum adoleſcentem, imberbem, ac venuſtum vidimus, nunc Senex barbatus nobis apparet, quem pro Silvano temere Venutius propoſuerat. Bacchum certe innuunt racemi pampinis admixti, quibus ipſius caput redimitur. Dextera cornu copiae fructibus refertum tenet, ſiniſtram pallio, quod ab humeris pendet, obvolvit, eaque illud ſuſtentat. Vini cadus forte ad pedes exprimitur, aut utris, aut quid aliud, forte recens additum, vel ſaltem reformatum. Cur Bacchus modo iuvenis, modo ſenex repraeſentaretur, vide apud Macrobium (9) potiſſimum, & apud Gyraldium (10). Ceterum tam Aegyptiacus Bacchus, quam Indicus, ut Diodorus (11) refert, barbam nutriebat. Pauſanias refert, ſimile vidiſſe ſignum apud Aeginetas (12): καὶ γένεια Διόνυσος ἔχων πεποίηται: *Etiam Dionyſius barbam gerens exhibetur*. Obſervavit id etiam in anaglyphis Arcae Cipſeli ita loquens (13): Διόνυσος δὲ ἐν ἄντρῳ κατακείμενος γένεια ἔχων, καὶ ἔκπωμα χρυσῶν ἐνδεδυκὼς ἐστι ποδήρη

(1) *Hiſt. Nat. Lib. XVI.*
(2) *Bonarot. Vitr. Coemeter. pag.* 14., *Senec. in Oedip. in Dityramb. Anaglyph. ant. Rom. p.* 79.
(3) *Lib. XVII. Cap.* 9.
(4) *Num. Carp. pag.* 95.
(5) *Ibid. pag.* 385.
(6) *Vid. Num. Carp. pag.* 95., *& pag.* 345., *Urſin. in numm.* 1., *&* 2. *Familiae Caeciliae, & Maffeium in Gemm. Tom. IV. fig.* 90.
(7) *De tintinab.*
(8) *Ad Epiſt. II. Lib. XXI.*, *Phaedr. Lib. II. Fabul.* 7., *Apul. Lib. X.*, *Lucian. in Aſin. p.* 111.
(9) *Lib. I. Saturn. Cap.* 18.
(10) *Syntag. Deor.*, *Vid. & Natal. Com. Mytholog.*, *Banierium*, *alioſque*.
(11) *Diod. Lib. III.*, *& IV.*
(12) *Lib. II. pag.* 140.
(13) *Lib. XV. pag.* 324.

ποδήρη χιτῶνα. *Dionysius autem iacet in antro barbam gerens, & vasculum aureum, indutus talari tunica.*

TAB. XV.

AMOR.

VENUTIUS

POetae multos Amores, eosque pueros, sine alis, alatosque finxerunt, quorum aliis in manus faces, aliis sagittas, aliis vincula, aliis alia tradebant. Puer noster intonsus Malum punicum dextera gerit, sinistra vero non plane apparet, quid teneat; si Concha venerea non est, ad florem Mali punici referrem. Veteres per Mala punica concordiam significabant, ut Hebraicarum rerum Scriptores tradunt, ideoque in Veste Sacerdotis erant depicta [1]. Quid si Amor coniugalis in hoc Signo innuatur? Delphinus vero, ut Ovidius [2] cecinit, amoris est indicium:

Quem modo celatum stellis Delphina videbas,
Is fugiet visus nocte sequente tuos;
Seu fuit occultis felix in amoribus index,
Lesbida cum domina, seu tulit ille Lyram.

Anacreon vero loquens de Disco quodam Venerem exhibente, Amores cum Delphinis ludentes memorat:

Ἐπὶ Δελφισιν χορευταῖς
Δολεροὶ νέον μέτωπον
Ἔρως, Ἵμερος γελῶντες.

Super Delphinibus saltatoribus
Dolosi iuvenili vultu
Amor, Himerus ridentes.

TAB. XVI.

AMOR QUIESCENS CUM HERCULIS SYMBOLIS.

VENUTIUS



Morem saepe in veterum Monumentis ob victorias de Diis partas alacrius exsultantem demisso arcu, illorumque arma, triumphantium more, circumferentem, vel super ea quiescentem invenies [4]. Philippus in Anthologia [5]:

Σμυλο-

(1) *Reland. Aurig. Hebr.* 984.
(2) *Lib. II. de Art. amand.*
(3) *Od.* 51.
(4) *Vid. Martial. Epigr. Lib. IX.*
(5) *Lib. IV. Cap.* 12.

Σμυλοχαρεῖς ἴδ' ἐρῶτας, ἰδὼς βριαροῖσιν ἐπ' ὤμοις
"Οπλα φέρουσι θεῶν νήπη ἀγαλλόμενα,
Τύμπανα, καὶ θύρσον Βρομίου, Ζηνὸς δὲ κεραυνὸν,
Ἀσπίδ' Ἐνυαλίου, καὶ κόρην ἤυκομον.

Ideſt, interprete Sleidano:

Aſpicis exuviis Divum, ut laetentur Amores,
Utque ferant humeris rapta trophaea ſuis.
Tympana cum thyrſo Bacchi, tum fulmina Summi, ac
Splendentem galeam, ſcutaque Martis habent.

Cernitur ſaepe Amor in gemmis clavam, fulmen, & aegidem gerens (1): Omnia vel ad Herculem, vel ad Iovem, vel ad Palladem referri ſingulariter poſſunt. Romae etiam in Lodoviſiis Hortis Martis cernitur Simulacrum, cuius armis proximus Amor adſtat (2). Sive igitur ad Herculem, ſive ad Iovem ſymbola haec, ſive ad Minervam, vel Martem referre velis, id ipſum confirmabitur, quod Graeci aiebant, Amorem omnes Deos captivos (3) in poteſtatem redegiſſe; ita ut recte ab Anacreonte apud Clementem Alexandrinum (4) θεῶν δυνάστης *Deorum Tyrannus* appelletur.

Tab. XVII.

AMOR CANENS.

Venutius

HIc quoque elegantiſſime Amor Deorum victor exprimitur, videlicet Herculis, & Panis, quorum alter per Leonis exuvias, alter per fiſtulam adumbratur. Amor naturali quodam ocio delectatur, ideoque ſedens effingitur, eo quod inertes, ac otioſos prae omnibus maxime capiat. Omnia in Amorem convenire videntur, quae optime a Propertio (5) memorantur:

Quicumque ille fuit puerum, qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuiſſe manus?
Hic primum vidit ſine ſenſu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non fruſtra ventoſas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.

Scili-

(1) *Collect. Roman. Antiquit. pagin. 29. verſ. 28., & 89.*
(2) *Maffeius de Statuis pag. 66.*
(3) *Lucianus Dialog. Vener., & Lunae.*
(4) *Lib. VI. Stromatum. Vid. Beger. Muſ. Brand. Tom. I. pag. 183., ubi gemmam affert, in qua Amor fulmen, & leoninum gerit corium.*
(5) *Eleg. Lib. II.*

Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroque iacet.
Ante ferit quoniam tuti, quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.

TAB. XVIII.

VENUS.

VENUTIUS



Icet huiusmodi imagines, ut plurimum ad Venerem *Anadyomenem* dictam referantur; Nos cum capitis mitellam consideramus, & vestem ita suspensam, Venerem potius sese induentem, & ornantem arbitramur. In Nummo Germanicopolitarum Venus adstat comam pectine discriminans, & pone eam Cupido. In Museo Florentino eadem cernitur, cui famulantur Cupidines, quorum unus armillas, seu ornamenta brachiorum offert, alter vas unguentarium ad corpus ungendum, curandumque. Cl. Eques Franciscus Victorius schema vitreum antiquum profert, in quo Venerem exhibet non dissimilibus stipatam ministris, & complura congerit de ornamentis Dearum, Mulierumque (1). Capitis fastigiatum illum ornatum taeniolis retro pendentibus, & crine eleganter collecto, Mitellam quoque dixerunt veteres, quae cum in capitibus Augustarum persaepe observetur, ut in Liviae, Iuliae, Domitiae, aliarumque, facile sub huius Veneris vultu aliqua ex istis latet, & fortasse Livia, cum Veneris facies videatur Mulierem repraesentare primo iuventae tempore iam transacto. Ceterum Venus quoque Mitellam gerit, veluti Dearum insigne, coronae loco. Tribuitur autem haec Veneri, ut Maris Dominae iuxta Musei, aut cuiusvis sint ea carmina de Leandro, & Hero:

Α'γνώτει, ὅτι κύπρις ἐπίπορος ἐστι θαλάσσης,
Καὶ κρατέει Ποντοῖο;

Ignoras, quod Venus e Mare nata est,
Et dominatur Ponto.

(1) *Vid. Gor. Mus. Flor. Tom. I.* (2) *In Dissert. Glyptogr. pag. 16., & seq.*

TAB. XIX.

AMICITIA.

AMADUTIUS

Ecens est hoc Signum, quod Amicitiam praesefert, quodque Venutius pro Venere exhibuerat. Exstat hoc ipsum in Aedibus Hortorum in Caelio; quod Cyriaco Matthaeio eorumdem Amplificatori Virginius Ursinius dono dedit, ut monet Inscriptio in lamina aenea, quae sub eodem Signo fixa est, & in qua sic legitur:

VIRGINIVS . VRSINIVS
CYRIACO . MATTHAEIO
AMICITIAE . MONVMENTVM
STATVERE
ILLVSTRIVS . ME . IPSA . AMICITIA
NON . POTVIT
MDCV

Femina haec nuda prorsus, Amicitiam repraesentans crines habet concinnos, & fascia adstrictos; tum leve vulnus in pectore digitis eidem admotis ostendit, ut hinc constet, id esse Amicitiae proprium, ut Amici arcana animi sibi invicem patefaciant. Etsi nullus esset locus Amicitiae inter Deos apud veteres Ethnicos, nullaque eidem Aedes, Ara, aut quaecumque res alia ex antiquis Monumentis sacra umquam occurrerit, tamen post Venerem heic nunc ipsam collocare nobis visum est; quandoquidem Venus ab Amicitia saltem amore tenus, tum quoad effigiem haud multum differre videatur, ac simul ut plurimum misere inter amantes utramque confundi contingat, ut proinde Venus ipsa Amica, seu Ἑταίρα, ab Atheniensibus dicta fuerit, & culta quinetiam, quod Amicos, & Amicas iungere crederetur (1).

TAB. XX.

MINERVA.

VENUTIUS

D eas Statuas, quas Rhodiginius Ethicas vocat, quibusque non imagines modo exprimuntur, sed mores quoque, referri haec nostra fortasse poterit; Ex statu enim ipso, gestuque, praecipue vero e vultu, & oculorum coniectu mansuetudini permixta

(1) *Hesich. in Lex. v. ἑταίρα*

mixta gravitas, qualis ſapienti oportet eſſe, & animus ad cogitandum intentus deprehenditur. Quod Minerva praeeſſet diſciplinis, & ingenuis artibus, *Salutaris* dicta eſt, eiuſque Templum Ariſtides deſcripſit in Minervae encomio: Talem potius, quam *Ultricem* ipſo aſpectu ſe prodit in hoc Signo. Veſtem ad talos demiſſam Amiculum brevius obtegit, e cuius ora ante pectus reiecta prodit ſe Gorgonis Caput anguibus horridum. Inſigne id fuit Minervae proprium, quod & *Aegis* dicebatur. De ea praeclare Servius (1): *Aegis proprie eſt munimentum pectoris aereum habens in medio Gorgonis caput: Quod munimentum ſi in pectore Numinis fuerit, Aegis vocatur, ſi in pectore hominis, ſicut in antiquis Imperatorum Statuis videmus, lorica dicitur.* Et paullo poſt: *Hoc autem caput ideo Minerva fingitur habere in pectore, quod illic eſt omnis prudentia, quae confundit alios, & imperitos, ac ſaxeos comprobat.*

(1) *In Aeneid. Lib. VIII. verſ.* 415.



CLASSIS

CLASSIS II.
QUAE CONTINET
DEOS TERRESTRES.



TAB. XXI.
CYBELES.

VENUTIUS

Sedet hic Cybeles turrito capite, & tantummodo tunicata, capita mulcens leonum hinc inde adſtantium placido vultu. Lucanus eam graphice deſcribit [1]:

Hanc veteres Graium docti cecinere Poetae
Sublimem in curru biiugos agitare leones
Aeris in ſpatio, magnam pendere docentes
Tellurem, neque poſſe in terra ſiſtere terram.
Adiunxere feras; quod quamvis effera proles
Officiis debet molliri victa Parentum.

Et Varro [2]: *Eamdem dicunt Matrem Magnam; Quod tympanum habeat, ſignificare eſſe orbem terrae; quod turres in capite, oppida; quod ſedes fingantur circa eam, cum omnia moveantur, ipſam non moveri.* Quod ad leones attinet, ſi fabulam ſpectemus, nemo ignorat [3], Hippomanem, & Atalantam, eo quod in Luco Matris Deorum, nulla Religionis ratione habita, ſe ſe complecterentur, in leones ab ea converſos fuiſſe, ac currui ſuo alligatos. Hac autem Statua non tantum Cybelem exhiberi, ſed aliquam etiam ex Auguſtorum uxoribus, veroſimile nobis eſt; & ſi facies, & capitis cultus ſpectatur, Iuliam fortaſſe Auguſtam. Factum non raro id eſt, ut obſervat Cl. Bonarotius [4], praecipue in nummis. Fauſtina Antonini Pii uxor in numiſmate Gazae Regis Chriſtianiſſimi [5] Cybelis habitu induta cernitur cum Epigraphe: MATRI . DEVM . SALVTARI, vel AETERNITAS. In nummo Iuliae Piae [6] ſub Magnae Matris forma ſpectatur haec, duobus, aut etiam quatuor leonibus ad currum adiunctis.

(1) *Pharſal. Lib. II.*
(2) *Varr. ap. Auguſt. de Civit. Dei Lib. VII. cap.* 24.
(3) *Vid. Ovid. in IV. Metam.*
(4) *Numm. Carp. pag.* 1.
(5) *Numm.* 57.
(6) *Mediobarb. Numm. p.* 209., *Patin. Numm. p.* 231.

TAB.

TAB. XXII.

CYBELES.

VENUTIUS



Lterum Cybelis Simulacrum profero eleganti artificio, cuius facies Fauſtinae Antonini quamſimillima eſt. Veſtis ad Deae ſedentis pedes belle defluit, oris eiuſdem per genua undatim decidentibus. Ipſa leones ore placido, & hianti utrinque aſſidentes manu mulcet. In Pinacotheca Collegii Romani anaglyphum vidimus, in quo Cybeles alata, & ſtans mulcet leones duos in pedes erectos, ac Deae veſtem amplectentes artificio, quamvis vetuſto, & inſueto, tamen non ineleganti. Inter numiſmata maximi moduli Muſei Carpinei, modo Vaticani (4) elegantiſſimum illud eſt, quod in antica parte Imp. Hadriani vultum, in poſtica Cybelem a leonibus vectam exprimit ſine ulla epigraphe. In eo Cl. Illuſtrator effigiem alicuius Auguſtae agnoſcit, forſan ex conſanguineis huius Caeſaris. Si ita eſt, non prius hic honor Auguſtae illi, quaecumque ea ſit, putatur adhibitus, quam Imperator ei concederet Imaginum ius in Ludis Circenſibus. Nam in hac pompa hae Imagines ferebantur ſuper Thenſas proprio Auguſtarum vultu, ſed Dearum habitu, ac ſymbolis, ut populi obſequiis, lectiſternio, ac ſupplicationibus colerentur, tamquam Numinum ſimulacra. In hoc igitur numiſmate Auguſta vehitur in Thenſa a quatuor leonibus, tamquam Deorum Mater. Feminis Auguſtis ut plurimum poſt mortem habebatur hic honos, qui erat earum velut Apotheoſis. Idem tamen aliquando etiam viventibus tribuebatur, ut Svetonius de Agrippina Claudii (5) teſtatur: Et quod mirum eſt, idipſum ſibi adſciverunt etiam Caeſares, ut de Heliogabalo refert Lampridius (3), & de Caio ex Philone legimus (4).

(1) *Bovar. Muſ. Carp. Tab. I. pag. 3.*
(2) *Sveton. in Vit. Claud.*
(3) *Lamprid. in Heliogab. cap. 24.*
(4) *Philo de Legation. ad Caium.*

TAB. XXIII.

CYBELES.

VENUTIUS

CYbelem, seu Terram opinati sunt veteres omnium Deorum primam esse, quam ideo & Magnam Matrem, & Deorum Matrem dixerunt. Cum enim omnium altrix Terra sit, tum Dii ipsi, qui a veteribus colebantur, mortales aliquando fuisse, perhiberentur, ac terrae fructibus victitasse, instar mortalium ceterorum, non immerito proinde superioribus nominibus salutabatur. Hinc Statuam hanc videmus Cereris symbolis ornatam, cum gerat dextera manu spicas, & papavera; ad sinistrum vero latus copiae cornu adsit fructibus refertum. Quod Deae capiti turrita Corona insidet, velo superimposito, innuitur, Mundi originem, seu principium parum notum, vel, ut aliis placet, aeternum obscuritatis velo tegi; Terrae autem ambitum coronae instar esse, Urbibus distinctum, & Oppidis. Lateri assidet leo ad Agricolas erudiendos. Consuevere enim leones, ut Solinus ait (1), si per solum arenosum iter faciant, cauda turbare pedum vestigia, ne quod Venatoribus itineris sui relinquant indicium, quod & Agricolae sementibus iactis faciunt sulcos tegendo, ne semen surripiatur ab avibus. Aliae etiam interpretationes afferuntur e Philosophiae penetralibus deductae, quas tamen ut plurimum antiquitatis studiosi non facile amplectuntur.

TAB. XXIV.

CYBELES.

VENUTIUS

DIffert hoc Simulacrum a ceteris, de quibus diximus, quod Turris supra peplum est posita: Ceterum & hoc, aeque ac superioris Tabulae Signum spicas, & papavera gestat manu, ut fruges significentur, quae a terra gignuntur, quemadmodum & duo leones pro uno, qui tantum est in superiori, adstantes habet, uti etiam cernere est in duobus prioribus. Turris capiti imposita Regna indicat, divitias, & humanam potentiam. In nummis observavi, capita turrita quandoque tributa fuisse tum Nemesi, tum Fortunae, seu quod una, eademque Dea illae sint, seu quod Magnae Matris administrae, vel dispensatrices habitae fuerint. In Cyzicenorum nummo Cl. Bo-

(1) *In Polyst. Lib. III.*

Cl. Bonarotius (1) utramque turritam profert, ex hoc arguens Urbem sub Nemesi, & Fortunae auspiciis fuisse positam. Ceterum Pindarus Fortunam vocat φερέπολιν *Urbem ferens*, vel uti vertit Amasaeus, *Urbes protegens* (2).

Tab. XXV.

CERES.

Venutius

Ceres, quae & Mater Magna, Proserpina, Bona Dea, Flora, Pales dicta est, hoc Signo exhibetur. Ut de Cerere modo loquar (nam de aliis nominibus superius tum diximus, tum & inferius dabitur dicendi locus) primam frumenti sationem, messis, & panis faciendi rationem hominibus demonstrasse dicitur; Antea enim herbis hi, ac glandibus victitabant. Hinc copiae cornu eius Statuis appositum, atque etiam papavera ad abundantiam ab ea partam ostendendam. Itaque Virgilius (3):

Primâ Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit, cum iam glandes, atque arbuta sacrae
Deficerent silvae, & victum Dodona negaret.

Et Ovidius de eadem ita scribit (4):

Prima Ceres unco terram dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges: Cereris sunt omnia munus.

Antiquitus Geres dicebatur, ut Cicero testatur (5), quippe quae sibi a gerendis frugibus mutuata nomen fuerat.

Tab. XXVI.

CERES.

Venutius

Ceres divinos honores obtinuit; hinc nil mirum, si haec nostra sedet in sella cum suppedaneo, sicut & facem sinistra tenet, capite pinea corona redimito. Pausanias (6) refert, Iovem Olympicum suppedaneum habuisse, quem Graeci dixerunt θρόνον. Simile

(1) *Numm. Carp. pag.* 219.
(2) *In Hymn.*
(3) *Lib. I. Georg. vers.* 146.
(4) *Metamorph. V. vers.* 341.
(5) *De Nat. Deor. Lib. II.*
(6) *Lib. V. pag.* 307.

le illi erat, quod ſub pedibus fuit Herae, vel Cereris extra eius Templum, quod quatuor ſtadia ab Aceſio diſtabat [1]: Καὶ ὁ θρόνος, ἐν ᾧ καθέζονται, καὶ τὸ ὑπόδημα τὸ ὑπὸ τοῖς πόσιν ἐςὶν ἑνὸς ὁμοίως λίθου. *Et ſella, ubi ſedent, & ſcamnum, ubi pedes imponunt, ex eodem eſt lapide.* Homerus [2] ſuppedaneum addit elegantioribus ſellis, quas ſuis Heroibus tribuit, ut Helenae, & Ulyſſi, illudque ab eo vocatur θρῆνυς, ex quo *Thronus.* Ovidius meo quidem iudicio poetice ſcamnum vocat [3] in illo verſu:

Et cava ſub tenerum ſcamna dediſſe pedem.

Quod ad faces attinet, ſciendum, cum his Cererem fingi a veteribus conſueviſſe, eaſque manibus geſſiſſe Deae Simulacrum in Arcadia, alterumque in Stiride, ut refert Pauſanias [4], quia aiebant, filiam noctu ab ea quaeſitam fuiſſe; Unde Prudentius [5]:

Facem revincta veſte praetendit Ceres.
Cur? Si Deorum nemo rapuit Virginem,
Quam nocte quaerens Mater errat pervigil.

Hae faces e pineis ramis confectae dicebantur; hinc Pinus Cereri ſacra putabatur. At Pinus praecipue Magnae Matri, quae & Ceres fuit, ſacra erat, quod feratur Athys pulcherrimus Adoleſcens ab ea adamatus in eam arborem fuiſſe converſus, atque ut Dea ſignificaret, ſe Adoleſcentis memoriam retinere, pineis ramis coronari voluit.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Heic me monere oportet, Signum hoc modo ceſſiſſe Muſeo Vaticano, beneficio CLEMENTIS XIV. P. O. M., qui antiqua Monumenta impenſe conquirit, eaque aeternitati ſecuritate loci commendat.

TAB. XXVII.

CERES.

VENUTIUS



Liquam ex Auguſtis repraeſentari in hoc Signo ſub Cereris imagine, & forſan Agrippinam credimus. Hae ſiquidem etiam cum viverent, divinos honores affectantes colendas ſe ſub Dearum ſymbolis praebuerunt. Nam ut Auguſtus Iovis, ſic Livia [6], quae *Stolatus Ulyſſes* dicta fuit, Iunonis habitu culta eſt.

Adiecere ſacrum, fieret quo Livia Iuno,

ut

(1) *Lib. V. pag.* 307.
(2) *Odyſs.* δ. *verſ.* 136., & ρ. *verſ.* 462.
(3) *Lib. I. de Art. amand.*
(4) *Pauſan. in Arcad. p.* 515., *in Phoc. pag.* 681.
(5) *In Roman. verſ.* 236.
(6) *Sveton. in Vit. Calig. cap.* 23.

ut ait Prudentius [1], & ante Prudentium Ovidius [2]:

Quum tibi contigerit vultum Iunonis adire.

Eadem apud Nummographos ornata occurrit Salutis, Pietatis, & Iustitiae symbolis, & Vaillantius [3] ita inscriptos habet nummos, ut videre quoque est in numismatibus maximi moduli Vaticanis a me explicatis: ΑΡΤΕΜΥΣ. ΕΦΕΣΙΩΝ, & ΑΙΒΙΑΝ. ΗΡΑΝ. Huius Statua inter Borionianas ex aere elegantissima [4] oculis, & rosis in titulo argenteis iuvenilem adhuc speciem praesefert. Antoniam Augustam forma, & pudicitia spectatissimam [5], cuius nummi sunt obvii tam Graeci, quam Latini, Gorlaeus in sua Dactyliotheca, & Angellonius sub Cereris effigie produnt. Agrippina Claudii, quae prima inter Augustas aereos nummos a Senatu obtinuit [6], persaepe Cereris, Venerisque, saepius tamen Palladis insignia gerit [7]. Caligula in suo Numismate tres cudi sorores suas iussit Dearum habitu [8], singulas cum cornu copiae, Agrippinam specie Constantiae, Iuliam Fortunae, Drusillam Concordiae, quae postrema a Caio consecrata *Panthea vocata est, & divinis honoribus per omnes Provincias culta* [9]. Domitia Domitii Aenobarbi Filia, Domitiani coniux, eiusque repudio satis nota [10] in capite, & calatho spicas praefert [11], Cereris ornamenta, quibus & Lucilla M. Aurelii promogenita [12], & omnes fere Principes Romanae in numismatibus decorantur. Currus leonibus tractus, & corona turrita, ut iam diximus, Cybelem ostentant, sed designant Pompeiam Plotinam Traiani uxorem, quam Hadrianus mortuam [13] per novem dies atratus luxit, & cui superstiti Basilicam Nemausi, & extinctae Templum in Urbe dicari voluit.

(1) *Contr. Symmach. 1.*
(2) *Ovid. de Ponto Lib. III. Ep. I. v. 145.*
(3) *Num. Graec. pag. 67., Num. Vatic. Tom. I., Num. Carp. pag. 72., & 73.*
(4) *Collect. Roman. Antiquit. Tab. XV. 12., Maffeius Gemm. Tom. I. Tab. XIII.*
(5) *Angelon. Num., Maffeius de Stat.*
(6) *Valer. Max. Lib. IV. cap. 3.*
(7) *Vaillant Tom. I. Imp. Rom. pag. 20.*
(8) *Id. Num. Graec. pag. 15.*
(9) *Dio Lib. LIX.*
(10) *Id. Lib. LXVIII.*
(11) *Collect. Rom. Antiq. Tab. LXV. 46.*
(12) *Vaillant Num. Tom. II. pag. 140.*
(13) *Bonarot. Num. Carp. Tabul. I., Gorlaei Dactylioth. Tom. I. vers. 211., & in Praefat., Dio Lib. LXIV., & Spartian. in Vita Hadrian.*

TAB.

TAB. XXVIII.

CERES.

VENUTIUS

Ceres, seu Augusta sub Cereris effigie pallio induta cernitur, sinistra truncam facem tenens, dextera papavera ostentans. Palliis etiam Mulieres tam Graecae, quam Romanae utebantur, quae tunicis superimponebant (1): Unde proverbium: *Tunica pallio propior*. Cererem *nigram* veteres appellabant propter vestem videlicet nigram, quam luctu de Proserpinae raptu commota sumpserat. Aiebant item, cum se Ceres in specum abdidisset, diu lucem vitasse; ob id cum omnes, quos terra educat, fructus corrumperentur, & homines passim pestis conficeret, Diis ceteris latebras ignorantibus, Pana per Arcadiae montes inter venandum errantem, cum ad Elaium venisset, ibi Cererem offendisse tali cum ornatu, & vestitu (2); Iovem re a Patre cognita, Parcas misisse, quibus deprecantibus compressa ira, & luctu lenito, placata Ceres fuit. Faces Ceres accendit ad Aethnae ignem (3), quod nihil aliud innuit iuxta Fulgentium (4), quam *quia hoc tempore, idest messis cum lampadibus, idest cum Solis fervore seges ad metendum cum gaudio requiratur*. Cum papaveribus ut plurimum spicae in manu Cereris coniunguntur (5), quia hominibus utramque hanc frugem tradidit edendam; genus enim papaveris erat apud veteres, ex quo panem conficiebant. Nihilominus si ad Cereris fabulam papavera referre volumus, quae in se vires soporiferas continent, Iuppiter fertur Cereri consuluisse, ut ad leniendum dolorem raptae Filiae papavera sumeret (6). Mythologi vero autumant in papaveribus aliquam inesse analogiam cum Terra tam ob rudem eorum corticem, quam ob dispositionem partium interiorum, quae seminibus repletae sunt (7).

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Ex vultus lineamentis Marciana Traiani Soror sub hoc Cereris Signo latere videtur.

(1) *Martial. Lib. X., Vid. Bayf. de re Vestiar. Capit. XIII.*
(2) *Vid. Pausan. Arcad. Lib. VIII.*
(3) *Ovid. Lib. IV. Fast. vers.* 523., *Stat. Thebaid. Lib. XII.*
(4) *In Mythol.*
(5) *Theocrit. Idyll. VII. in fin., Scholiast. Theocrit. ibid.*
(6) *Serv. ad* 1. *Georg.*
(7) *Phornut. Cap.* 24.

TAB.

TAB. XXIX.

CERES.

Venutius

DEa inventrix, & Mater frugum cuiuſcumque fere generis exhibetur hoc Signo, talari induta veſte, & brevi ſuperimpoſita tunica. Brachia nuda ſunt, ſed armillis ornata: Siniſtra manus ſpicas tenet, & papavera. Non ſolum frumenti ſationem Ceres monſtravit, verum etiam rationem, qua idem per trituram excuſſum a paleis ſecerneretur, ut refert Callimachus in Hymno eidem dicato: Eam ob cauſſam ſpicae, ac papavera in manibus Imaginum eiuſdem ſpectantur, quae etiam adhiberi conſueverant in myſteriis Eleuſiniis, & in Templis eidem ſacris appenſae coronae ſpiceae cernebantur; Unde Tibullus (1):

Flava Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quae Templi pendeat ante fores.

Brachia noſtrae Imaginis, ut diximus, circumligantur armillis: Hae autem ex auro, vel argento fuerunt, gemmatae item, atque aereae. Sabini aureas armillas brachio laevo deferebant (2); Item & Romani tam Viri, quam Mulieres (3); Graecae Feminae ſaepe utroque. Feſtus militum ſtrenuorum inſigne armillas fuiſſe docet, quae eis ab Imperatoribus donabantur, illaſque ita dictas ſcribit (4), quod antiqui humeros cum brachiis armos vocabant, unde quae ab his penderent, arma ſunt vocata. De armillis egerunt praeter alios Michael Angelus Cauſeus (5), Ioh. Baptiſta Caſalius (6), & Cl. Eques Franciſcus Victorius (7) Amicus noſter optimus, aliique non pauci, quamquam breviter, & ut ſcribendi occaſio ferebat.

TAB. XXX.

CERES.

Amadutius

STatuam hanc ſub Cereris, vel, ut aliis viſum quoque eſt, ſub Florae ſymbolis, Auguſtae vultu decoram, & forſan Iuliae Severi Venutius expoſuerat. Verum cum eius illuſtratio a re prorſus divergeret, ac in ſupervacanea excurreret, piguit nos in Scenam nunc

(1) *Tibull. Eleg.*
(2) *T. Liv. Decad. 1. Lib. I. cap. 5.*
(3) *Sex. Aurel. Vict., & de Vir. Illuſtr., Paull. Diac. Epit.*
(4) *De Verb. Significat.*
(5) *In Muſ. Roman.*
(6) *Apud Graev. Tom. IX. pag. 949.*
(7) *Diſſert. Glyptograph. pag. 31.*

nunc ipſam proferre, ut eius proinde loco haec paucula nos adnotare maluerimus; praeſertim cum non in omnibus adhaerere Venutio nos ipſos modo contingat. Siquidem non Iuliam Sèveri, ſed potius Criſpinam Brutii Praeſentis Conſularis Viri filiam, & Commodi uxorem in huius Statuae vultu conſpiciendam exhiberi quibuſdam viſum eſt. Hinc etiam factum videmus, ut ſub huius Auguſtae nomine hanc ipſam Statuam in lucem iam emiſerit Paullus Alexander Maffeius (1), de Cereris ſymbolis, quae in ſiniſtra manu ſunt, parum ſollicitus, quaeque nos nimirum ad Cererem in ea agnoſcendam, ac ſalutandam potiſſimum adduxerunt, praeſertim cum ipſius Criſpinae imago nec ſatis tuto, nec evidenter prorſus ſe prodat. Sub Criſpinae etiam nomine Montfauconius ipſe (2) dein protulit ex Maffeiano exemplari. Ceterum in hac Statua crinium ornatu caput inſigne eſt. Siniſtrae vero papavera, & ſpicae inſunt, quae inter Cereris inſignia numerantur, ut iam ſuperius dictum eſt. Tandem talari tunica concinne amicta cernitur Dea, ſeu Auguſta, cui tamen ſuperimpoſitum eſt pallium, ac de utroque veſtis genere nonnulla iam ſupra (3) attigit Venutius. Addimus nos modo, Statuam hanc quinetiam nunc migraſſe in Muſeum Vaticanum laudabili providentia CLEMENTIS XIV. Pont. Opt. Max.

TAB. XXXI.

CERES.

STatua haec, quae Venutio fuerat Cereris Sacerdos, nobis ipſa Ceres erit; nihil enim, quod aliter ſuadeat, in ea occurrit. Dea crinium cultu ornatiſſimo, & ſuccincta veſte exhibetur. Dextera manu ſpicas gerit, vel, ſi mavis, etiam faces; quandoquidem ex Pauſania (4) novimus, Cererem a Praxitele manibus faces tenentem exſculptam fuiſſe; quemadmodum & papavera forte ſiniſtra manu tenet. Ceterum totum brachium dexterum, ac manum ſimul cum ſymbolis additum fuiſſe a recenti Artifice, tum ſiniſtrae manui acceſſiſſe papavera, cuique intuenti apparet. Forte vetus Sculptor Statua hac Iunonem λευκώλενον *candida brachia habentem* expreſſit, quae dein in AMADUTIUS

(1) *Raccolta di Statue antiche, e moderne Tav. CVIII. col.* 100.

(2) *Antiquitat. Explicat. Tom. III. Part. I. Tabula XVIII. n.* 2. *Lib. I. Cap. XII. n. IV. p.* 39.

(3) *Tab. XXVIII. pag.* 23.

(4) *In Attic. Lib. I.*

in Cererem ex ſymbolis ſuperadditis commutata eſt. Quot Statuarum metamorphoſes, ſi ita loqui fas eſt, in Lapidariorum, ſive falſariorum mangonum officinis per venerandae vetuſtatis iniuriam, & ad Antiquariae artis opprobrium, incertitudinem, ac ſomnia promovenda nunc fraude, & avaritia duce peraguntur!

Tab. XXXII.

URANIA.



Grippinam Claudii uxorem potius, quam Germanici, in hac egregia Imagine agnoſcere Venutio viſum fuerat. Verum cum vultus utriuſque Auguſtae non omnino certus ſit, immo cum ipſum abeſſe ab hoc Signo eruditi nonnulli cenſuerint, idcirco pro Urania heic nos modo ipſum proponimus; globo praeſertim, quem ſiniſtra manu tenet, ſic ſuadente. Siquidem

Urania Caeli motus ſcrutatur, & aſtra;

ac cum veteres eidem Aſtronomiam deberi contenderent, ideo globum caeleſtem tractandum, ac contemplandum ipſi tribuerunt. Sarcophagus Hortorum Matthaeiorum, quem Sponius (1) omnium primus, & ex eo Montfauconius (2) protulerat, quemque nos etiam inter Anaglypha deſcribemus, exhibet novem Muſas, quarum una eſt Urania globo caeleſti inſtructa. Imago haec noſtra, quam nunc exponimus, ſedet nobili ſubſellio, ac veſte amicitur elegantiſſima, fibuliſque, ſeu orbiculis ad ſiniſtrum brachium affabre conſtricta eſt. Eius caput ornatum cernitur capillis concinne diſcriminatis, calamiſtratiſque, ac floſculis interiectis; pedes vero calceis quoque inſtructi ſunt.

(1) *Miſcellan. Erud. Antiq. Sect. II. art. IX. pag.* 44. (2) *Antiq. Expl. Tom. I. Part. II. Tab. LVI. pag.* 112.

CLASSIS III.

QUAE CONTINET

DEOS SILVESTRES.

TAB. XXXIII.

FAUNUS.

VENUTIUS

FAunus hic cernitur auribus ferinis, uno genu arietinum premens caput. Id utrum ſpectet ad aliquam Sacrificii rationem, an potius innuat Satyris, & Faunis, utpote vini, Bacchique amatoribus inviſos eſſe arietes, quod vites arrodant, eruditorum iudicium eſto. Fauni Dii Silveſtres erant. Numae Pompilio, cum ipſe alloqueretur Deos Silvarum apud Ovidium (1),

ſic quatiens cornua Faunus ait:

. . . .

Di ſumus agreſtes, & qui dominemur in altis
Montibus.

Numen autem peculiare Fauni fuerunt apud Romanos, ut idem Ovidius refert (2):

Idibus agreſtis fumant altaria Fauni.

In Kalendariis tamen nulla fit mentio huius celebritatis, forſan his Idibus recolebant memoriam illius diei, quo multo ante Templum Fauno dicaverant. Factum id fuit circa annum ab V. C. DIX. Ita Livius (3): *Aedes eo anno aliquot dedicatae ſunt, una Iunonis Soſpitae in Foro Olitorio, vota, locataque triennio ante a C. Cornelio Conſule, Gallico bello. Cenſor idem dedicavit alteram Fauni. Aediles eam triennio ante ex multatitio argento faciendam locarant C. Scribonius, & Gn. Domitius Ahenobarbus, qui Praetor Urbanus eam dedicavit.* Idem (4): *Ex eorum multatitia pecunia Aedem in Inſula Fauni fecerunt.* En locus, ubi poſita, quod & a Topographis confirmatur, & praeſertim a Pub. Victore, qui ſic ait: *In Inſula Aedes Iovis, Fauni, Aeſculapii.*

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Caput, quod Faunus genu comprimit, damae potius eſt, quam arietis. Hoc ſilveſtre animantium genus ſilveſtri Numini convenientius nemo non dixerit.

(1) *Faſtor. Lib. III. v. 112., & ſeqq.* (2) *Ibid. Lib. II. v. 193.* (3) *Lib. XXXIV.* (4) *Lib. XXXIII.*

TAB. XXXIV.

FAUNUS.

VENUTIUS

ELegantiſſima haec Statua Faunum exprimit inconcinne retro collabentem, velut ebrium, artificio tamen non contemnendo. Inſidens ſcopulo exuviis ferinis cooperto utrem vini plenum manu tenet. Ex caprina pelle utres efficiebantur. Unde Virgilius (1):

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur, & veteres ineunt proſcennia ludi,
Praemiaque ingentes pagos, & compita circum
Theſeidae poſuere, atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

Hic ludus a Graecis *Aſcoliaſmus* nuncupabatur, aut, ut eum vocat Ariſtophanis Scholiaſtes, & Pollux (2), ἀσκώλια. Feſtus erat apud Athenienſes ex eodem Polluce ludi huius dies, qui ludus, qua ratione fieret, breviter innuit Heſychius: Ἀσκωλιάζων, ἁλλόμενος τῷ ἑτέρῳ ποδί. *Qui utre ludit, altero in eum pede inſiliens.* Utrem igitur in medio poſitum, & ſpiritu, & vino plenum pagani homines ita circumſtabant, ut qui luſuri erant, altero in eum pede celeres inſilirent, ſupraque conſiſterent. Victori praemium fuit vinum, quod erat in utre, ut ait Ariſtophanes (3); Eorum, qui cecidiſſent, lapſum effuſus omnium riſus conſequebatur. Ex eodem praeterea Ariſtophanis loco habemus, eos, qui ita luderent, larvatos fuiſſe habitu Satyrorum, vel Faunorum. Quin ut hilarior eſſet celebritas, aliqui manibus ſubnixi inverſum corpus, & pedes in altum attollebant: Hi *corvitores* dicebantur (4), de quibus Feſtus. Duos ex his aereos vidi in Muſeo Capponio Collegii Romani, quorum alter manibus ſuſtinet corpus erectum, alter in arcum reſupinat, quemadmodum a Ludionibus, & pueris fit etiam hoc tempore.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Aliis Faunus hic dormiens videtur, qui nunc providentia CLEMENTIS XIV. Pont. Opt. Max. in Muſeum Vaticanum inlatus eſt.

(1) *Lib. II. Georg. v. 379. Vid. meam Diſſert. de Aſcoliaſmo inter Diſſert. Acad. Etruſc. Tom. V. Diſſ. 8. pag. 89.*
(2) *Onomaſt. Lib. IX.* (3) *In Pluto. Vid. eius Scholiaſt.* (4) *Vid. Feſt. in verſ. Lucil.*

TAB.

TAB. XXXV.

FAUNUS.

Venutius

FAunum Pici Filium, vetustissimum Latinorum Regem, Faunorum, Satyrorumque Patrem faciunt Mythologi (1): Vereor tamen, ut recte; qui enim rudiores homines primus ab agresti, & Cyclopea vivendi ratione ad placidiorem disciplinam, cultumque revocavit, & omnis religionis (2), & sacrorum fundamenta iecit, inter beneficos potius, mitesque, quam malignos, & feros Deos esset adnumerandus, cum contra nemo ignoret, Faunos, & Fatuos, & Fatuellos (3), quorum uxores Faunae, & Fatuae, Italis Fatae, ex genere Satyrorum esse, & ex Daemonum malignorum choro, qui homines perterrefacere credebantur (4) & atra munia subire. Hinc huiusmodi terrificos, infestosque Deos, & ἀλιτηρίους per vastos camporum tractus, & lucos errantes rudis sibi finxit antiquitas. Ceterum qui asserunt, Faunum eumdem esse cum Graecorum Pane, rem ipsam magis acu tangere videntur. Inter hos exstat Sex. Aurelius Victor (5), cui adhaeret Servius (6), qui eius cultum ex Arcadia ab Evandro in Latium allatum putat (7). Quare Bochartus (8) Faunum alium in Latio regnasse, meras esse nugas contendit, atque ab iis confictas, quos latebat, Faunum esse Panem Arcadem. Nostra non inelegans Statua pedum dextera tenet, sinistra fistulam, quam vultu ridenti spectat: Caput auriculas acutas habet, & coronam pineam. Syringae fabula nota est, quae in Fistulam conversa fuit. Solum addam, petulcos, & salaces fictos fuisse Faunos, Satyrosque a Fabularum Architectis.

TAB. XXXVI.

FAUNUS.

Venutius

SPectatur in hac Statua hinnulea pellis ad humeros circumvoluta; caput pinea corona redimitum, animalculum in altera manu, in altera cyathus; tandem e sinu, quem Nebris efficit, uvae racemi pendentes. Aures acutae, & caprinis similes facile innuunt, hunc ex

(1) *Natal. Com. Lib. V. Mythol. cap.* 9.
(2) *Lactant. de fals. Relig.*
(3) *Serv. ad Aeneid. VI., & VIII.*
(4) *Dionys. Halicarn. Lib. V. cap.* 3.
(5) *De orig. Gent. Roman.*
(6) *Aeneid. VI.*
(7) *Id. in I. Georg.*
(8) *Geogr. Sacr. Lib. I. cap.* 33.

ex familia esse Faunorum, & Satyrorum. Ab hirco enim, Hebraice שָׂעִיר *Sair*, deducit Bochartus eorum nomen [1]. Tam Deo Pani, quam Faunis Pinus sacra est; idcirco hi eius ramum aut manibus gerunt, aut capite coronae loco, ut in nostro Signo apparet. Bacchi praeterea comites habentur, nec immerito; Vinum enim ad libidinem homines vehementer incendit. Quamobrem Philoxenes Erethrius, ut Plinius refert [2], cum lasciviam oculis subiicere vellet, tres Faunos pinxit, qui plenis poculis mutuo se ad bibendum invitare viderentur. Hinc Fauni ad Bacchanalia pertinent, atque finguntur ad numeros Dityrambicos saltare, inconcinneque canere, quales in Bacchi, Ariadnaeque pompa graphice descripsit Pausanias in Beoticis, & videre est in praeclaro thoreumate aereo, quod Bacchi triumphum refert ex Raphaelis Urbinatis designatione, & est in Museo Capponio Collegii Romani. Quod vero animal illud sit, quod sinistra gestatur, cum trunco sit capite, agnosci non potest. Scimus Pani, & Faunis Caprum sacrum fuisse, aliud praeterea nullum.


I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Est, qui credat, Signum hoc Silvanum exprimere, quod fructus quosdam in pellis sinu receptos, non autem racemos ostentare videatur; verum apud nos potiora sunt, quae pro Fauno argumenta eruimus tum ex auribus arietinis, quas Silvano nemo umquam tribuit, tum ex pinea corona, quae ut plurimum Fauno aptatur, ut ex Ovidio in *Oenone* eruimus, cum contra cupressu Silvanum ornari, innuat Virgilius I. *Georg.* Verum Silvanus non raro cum Iano, Fauno, atque Pane facile confunditur; communibus enim cum istis Diis fungebatur officiis, ac propterea idem fere eorum omnium cultus, eademque fere sacra, quae illis persolvebantur a rusticis. Quare quid lubet, opinandi cuique facultas esto.

TAB. XXXVII.

FAUNUS.

Venutius



EX auribus tantum, ridentique vultu hic male mutilatus lapis pro Fauno habetur ab Antiquariis. Latinorum Dii fuere Fauni, nec minus postea Romanorum. Dionysius enim Halicarnassensis id innuit [3]: Ἐτύγχανε δὲ τότε τὴν βασιλείαν τῶν Ἀβοριγίνων παρειληφὼς Φαῦνος Ἄρεος, ὡς φασιν, ἀπόγονος, ἀνὴρ μετὰ τοῦ δραστηρίου, καὶ συνετὸς, καὶ αὐτὸν, ὡς ἐπιχωρίων τινὰ Ῥωμαῖοι δαιμόνων θυσίαις, καὶ ᾠδαῖς γεραίρουσι. *Susceperat*

(1) *Geogr. Sacr. Lib. I. cap. 8. pag. 444. edit. rec.* (2) *Nat. Hist. Lib. XVI.* (3) *Hist. Rom. Lib. I.*

perat eo tempore Regnum Aborigenum Faunus Marte, ut aiunt, progenitus, vir fortis, & prudens; ipſumque, ut indigetem Romani ſacrificiis, & carminibus colunt. Cicero quoque [1]: *Saepe Faunorum voces exauditae, ſaepe viſae formae Deorum quemvis aut non hebetem, aut impium Deos praeſentes eſſe confiteri coegerunt.* Putabant enim veteres, agreſtes hos Deos in agris deſertis vocem aliquando mittere, aut etiam apparere; Idcirco ſacra iis ibidem faciebant agna, vel haedo, ut refert Horatius [2]:

Nunc & in umbroſis Fauno decet immolare lucis,
Seu poſcat agnam, ſive malit haedum.

Cornua iiſdem aliquando tribuebantur, unde *Bicornes* vocati ab Ovidio [3]. Caprinae item aures, & pedes; A praedura igitur ungula, qualis eſſe caprarum ſolet, & equorum, Cornipedes dicebantur, ut idem ait Ovidius [4]:

Cornipedi Fauno caeſa de more capella.

Quamquam non caprina tantum forma permixti, ſed etiam equina Fauni aliquando reperiuntur, ſive Etruſci dicendi ſint, more a Pelaſgis, & Theſſalis deducto, ſive Latini. Duo ſunt in Pinacotheca Collegii Romani; alter aereus, alter graphice inciſus in patera, ungula pedum ſolida, cauda, & auribus equinis: Alios ibidem vidi duos item aereos eadem prorſus forma, ſed pedibus humanis. Sunt, qui velint, eos tantum habendos eſſe Faunos, qui auribus dumtaxat caprinis, aut equinis ab hominum communi forma differunt; reliquos vero Satyros vocent: Non deſunt tamen, qui ſemiferos hos univerſos omnino confundunt. Ceterum Faunos, Silvanos, Silenos, Panas, & Satyros eiuſmodi Deos eſſe, ac Daemones, antiqui crediderunt, qui poſt longum aetatis annum ſeneſcerent, tamquam terra nati, atque aliquando interirent [5].

(1) *De Nat. Deor. Lib. II.*
(2) *Lib. I. Od. IV. verſ.* 11.
(3) *Triſt. Lib. II.*
(4) *Faſt. Lib. II.*
(5) *Plut. de Orac. defect.*

TAB.

TAB. XXXVIII.

FAUNUS.

AMADUTIUS



Ignum hoc de Baccho Venutius noster exposuerat, quod nos in Faunorum familiam postliminii iure restituimus. Nihil enim moror racemum cum pampino, quem expressum cernere est stipiti, cui dextero cubito Faunus innititur; Iam enim vidimus ex Venutio ipso (1), Faunos esse Bacchi comites, & ad Bacchanalia pertinere. Pellis etiam agrestis, quam e dextero humero per pectus ad sinistrum latus protensam intuemur, Faunum haud dedecet, quum ipsum eadem amictum exhibeat etiam Signum alterum, quod Venutius superius (2) exposuit. Quod Signum hoc Faunum exprimat, non solum nihil prohibet, verum etiam arietinae aures necessario suadent, quas neminem umquam Baccho aptasse, comperimus.

TAB. XXXIX.

FAUNUS.

[illegible]



Rietinae aures, quae in hoc Signo se produnt, alium Faunum nobis suadent hoc ipso Signo praeseferri. Venutius noster ad Bacchi imaginem amandaverat, nescio qua potissimum ratione permotus, nisi nobis inducere in animum velimus, cyathum, quem dextera manu tenet, & nebridem ad collum revinctam ipsum inconsulto in hunc scopulum adegisse. Verum quae superius innuimus, facile ab ipso religionem omnem, si quae ob illa ipsum incessisset, eruere funditus poterant. Si plura de Faunis agere esset animus, nil nisi crambes recocta a nobis nunc reponi posset. Quare iuvabit cetera persequi.

TAB. XL.

FAUNUS, ET SATYRUS.

VENUTIUS



Raeci Artificis opus exhibemus, in quo Faunus resupinus exprimitur, cui Satyrus e pede spinam evellit. Miro prorsus, & eleganti artificio exstat e vultu Fauni quidem dolor saucium pedem elatum dextera sustinentis, Satyri vero intenta sedulitas, ne

(1) *Tab. XXXVI. pag.* 30. (2) *Tab. ead.*

ne dum ſpinam educit, dolorem augeat. Corona e pinu, quam huiuſmodi Diis ſacram diximus, caput Fauno praecingitur, pineis tamen nucibus interiectis. Utris adiacet plenus, cui laevum Fauni brachium innititur. Eo vel Aſcoliaſmum innuere Artifex voluit, vel potius ſignificare tam Faunos, quam Satyros ex Bacchi familia eſſe, nimirum οἱ Διονύσου τεράποντες οἱ Σατύροι, *Bacchi Miniſtri Satyri*, ut Lucianus ait. Varium illorum habitum, formamque deſcripſit Nonnius (1). Satyrorum diverſum genus adnotavit iam doctiſſimus Scaliger (2). Faunus hic noſter hircinam pellem ante pectus alligatam, & poſt tergum pendentem ſuſtinet, tamquam tegillum ad imbres arcendos; quoniam cucullum adiunctum habet. Tegillum hoc aliquando fuit ex ſcirpis, aliquando ex hircina, vel alia pelle. *Cucullionem viatorium* habemus ex Iulio Capitolino (3). Quidam eum fortaſſe cum *Penula cucullata*, quae Mercurio, & Teleſphoro tempore hiemis apud antiquos tribuitur, poſſe confundi credunt, quae etiam villoſa erat; Unde apud Homerum χλαῖναι οὖλαι. Sed ſi id rectius conſideretur, tegillum longe a penula diſtat (4).

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Praeclarum hoc Monumentum quinetiam Muſeo Clementino - Vaticano acceſsit.

Tab. XLI.
SILENUS.

Venutius

Pauſanias in Atticis ex genere Satyrorum eſſe Silenos exiſtimat. Praecipuus quidam ex iis ſingularem celebritatem obtinuit; etenim Bacchi nutritor, & paedagogus fuit, comeſſator, vinique potor egregius, qui tamen ingenio, ac vaticinandi facultate excelluit, & fiſtulam, quae paſtorale muſicum inſtrumentum eſt, primus, ut aliqui teſtantur, invenit. Ceterum foedo corpore magnopere deſpiciendus: Senex enim, ut a Luciano deſcribitur, ſimus, calvuſque, ſtaturae tenuis, & ventricoſus fingitur, qui capite hedera revincto, auribus arrectis, & grandioribus, nimio vino nutans, & tremulus aſello veheretur, ut plurimum Satyriſcis ſtipatus. Hic cernitur ſtans palliolo partim infra medium corpus tranſverſo, partim ſupra laevum humerum

(1) *In Dionyſiac Lib. LXIV. verſ.* 130.
(2) *Lib. I. Poet. cap.* 17.
(3) *In Vit. L. Veri.*
(4) *Vid. Bonarot. ad Vitr. Caemet. Tabul. XVI. pagin.* 103., *Ferrar. de Re Veſt. Part. II. Lib. II. cap.* 7.

merum inſtrato ad cadum baiulorum more ſuſtinendum. Deus tamen & ipſe eſt habitus, cultuſque in Templo apud Aeleos [1]. Ad Sileni ſimilitudinem efficta celebrantur quaedam Simulacra, & Sigilla viſu deformia, quae paroemiae locum dederunt, dictaque ſunt *Sileni Alcibiadis*. Exprimebantur iis Viri doctrina quidem praeſtantes, ſed forma, cultuque corporis turpiuſculi, cuiuſmodi fertur fuiſſe Socrates Alcibiadis praeceptor, Vir ſingulari ceteroquin doctrina, ſapientiaque praeditus.

TAB. XLII.

SILENUS.

VENUTIUS

PEculiaris haec Statua Sileni eſt, cui nudo corpore palliolum tantum ex humero per ſiniſtrum defluit brachium; nam dignus adnotatu pileolus eſt rotundus, qui non ita facile ſupra Sileni caput animadvertitur; aperto enim ut plurimum capite eum finxit antiquitas, & favus mellis ad pedes trunco incluſus. Factum id, opinor, ea de cauſſa, quod Silenus cum Satyris melle delectaretur. Hinc Ovidius de eo loquens ita cecinit [2]:

Ut Satyri, laeviſque ſenex tetigere ſaporem,
Quaerebant flavos per nemus omne favos.

Non ſolum bibax is erat, ſed etiam inter helluones numerabatur, idcirco eumdem veteres corpulentum, ventroſumque finxerunt; ex quo etiam fiebat, ut turpior evaderet. De Sileni deformi facie Athenaeus [3] de Critobulo Socratis diſcipulo loquens inquit: Ὁ γὰρ Κριτόβουλος μειράκιον ἀστεῖον γέροντα, καὶ διδάσκαλον αὐτοῦ τὸν Σωκράτην σκόπτει, πολὺ τῶν Σειλήνων αἰσχρίω λέγων εἶναι. *Critobulus autem adoleſcens urbanus ſenem, & magiſtrum ſuum Socratem irridebat, turpiorem Silenis dicens eum eſſe.*

TAB. XLIII.

SILENUS.

AMADUTIUS

FAcile in errorem Venutium noſtrum incidiſſe, arbitramur, quod Signum hoc *Barbatum Bacchum* inſcripſerit. Nos quidem potius in ea ſententia ſumus, de Sileno hoc ipſum Signum eſſe exponendum. Suadet id praecipue, quod Statuarius ipſum corpulentum, & ven-

(1) *Vid. Pauſan. Heliac. Lib. I.* (2) *Lib. III. Faſt. verſ. 745.* (3) *Deipnoſoph.*

& ventroſum finxerit, ut ſuperius Venutius ipſe de altero Sileni Signo animadvertit. Neque enim Bacchus ita effingi conſueverat, cui potius antiquitas ventris concinnitatem κατ' ἐξοχὴν tribuere ſolemne habuit. Hinc Anacreon Ode XXIX.(1) compellans Pictorem, cui Bathyllum effingendum commiſerat, praeter thoracem, & geminas manus Mercurii, quin & Pollucis femora, quae ſcitum puſionem undequaque exprimerent, Διονυσίηνδ'ὲ νηδὺν *Bacchicum* nempe *ventrem* praecipue ipſi commendat, in quo quis non videat, non mediocrem elegantiae partem ſitam veteres cenſuiſſe, ut ipſum ad rectae conformationis exemplar proponerent? Quare in ſuis ad hanc Odem adnotationibus recte obſervat Tanaquillus Faber, remotos a cognitione melioris antiquitatis eſſe Pictores illos, qui Bacchum γαστρώδη, ventroſum, & doliarem fingunt. Quod Imago haec racemum ſiniſtra teneat, & dextera ſcyphum, commode Silenum vini potorem egregium deſignat, quemadmodum & ipſe Venutius ſuperius expoſuit.

TAB. XLIV.

DIANA.



Pollinis Soror Diana, vel Luna frequentiſſime ſagittis armatur, quia radiis telorum inſtar emiſſis, quae longe ſunt, iaculatur; διὰ τὴν ἄφεσιν πόῤῥω τῶν ἀκτίνων, uti loquitur Plutarchus, vel Phornutus potius, ut obſervat Aleander(2); Unde ab Arnobio(3) eleganter Apollo, & Diana *Arcitenentes* appellantur. Notum eſt, Niobes filios fingi a Poetis, ab Apolline, a Diana vero filias occiſas eſſe. Homerus(4) Laodomiam, & Matrem Andromachen ait a Diana fuiſſe interemptas, & in Odyſſea(5) Matrem Ulyſſis narrantem refert, ſeſe a Diana non eſſe interfectam, verum illius deſiderio mortuam; Clyte uxor Cyzici apud Valerium Flaccum(6) queritur, ab eadem Diana matrem ſuam occiſam eſſe. Dianam habes in hoc Signo veſte talari indutam. M. Tullius Cicero in Oratione contra Verrem(7) Dianae Simulacrum deſcribens de hoc quodammodo loqui videtur: Ita enim dicit: *Signum altum erat, magnum, veſte ad talos uſque contectum, facie*

VENUTIUS

(1) *Od. XXIX. verſ. 33. ad Pictor. de Amaſio ſuo Bathyllo.*
(2) *In Tab. Heliac.*
(3) *Lib. I.*
(4) *Iliad. ζ. verſ. 205.*
(5) *Odyſſ. α. verſ. 197.*
(6) *Argon. Lib. III. verſ. 322.*
(7) *Orat. II.*

facie iuvenili, virginali aspectu, sinistra arcum tenebat, sagittaeque ex humeris pendebant. Diana oblonga veste habetur etiam in aliquot nummis Coloniae Laodicensis, in nummo Gentis Hostiliae, & in nummis Hadriani, & Faustinae Iunioris (1).

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Cl. Iohannes Winckelmannius, cuius proditoria caedes Tergeste paucis ab hinc annis perpatrata ad infelicium Litteratorum album nova appendix exstitit, in antiquis Monumentis anecdotis ab eo illustratis Vol. II. Part. I. Cap. VII. n. III. pag. 27. ait, Dianam prolixa veste amictam haberi in gemmis, atque marmoribus, inter quae duo etiam Hortorum Matthaeiorum Signa recenset. Verum nobis, nonnisi hoc unum, quod modo proponimus, videndum se obtulit.

TAB. XLV.
DIANA.

VENUTIUS



Claudianus Dianam, & Socias ita in Panegyrico Stiliconis (2) describit:

Humeros, & brachia nuda,
Armataeque manus iaculis, & terga sagittis,
Incomptae, pulchraeque tamen: sudoribus ora
Pulverulenta rubent; sexum nec cruda fatetur
Virginitas; sine lege comae; duo cingula vestem
Crure tenus pendere vetant.

Dianam veteres venationis Deam appellaverunt, & in eius tutela silvas, ac lucos posuerunt, quod ea ab hominum consuetudine abhorrens ibi vitam in venatione traduceret, quo melius virginitatem servaret. Observanda in hoc Signo mitella capiti Dianae praeter morem imposita. Haec enim Dea crinibus ut plurimum vel sparsis spectatur, vel in nodum religatis; Mitella vero Augustarum potius peculiare est ornamentum; Hinc coniici facile potest, sub Dianae forma Augustae vultum latere in hoc Signo, cui nomen certum tribuere minime audeo. Observandae quoque caligae soleatae pedibus insertae, quae supra talos adstrictae, & lata lingula supra pedes reiecta superiorem eorum partem totam praeter digitos contegunt (3).

(1) *Vaillant. Numm. Famil., & Colon.*
(2) *Lib. III. vers.* 247.
(3) *De Caligis erudite egerunt Turneb., Lips., Balduin., Ferrar., Bonann., Binaeus, & alii complures.*

TAB.

Tab. XLVI.

DIANA.

Amadutius

Signum hoc intactum Venutius noster reliquerat; quare nos ad ipsum describendum accedimus. Huius Signi forma non dissimilis est ab ea, quam in superiori advertimus, nisi id excipias, quod vestis longior est in hoc Signo ad cruris pulpam pertingens, quemadmodum etiam unico cingulo vestis subligatur, quae insuper amiculo breviori transverso tegitur, secus ac in superiori videri contingat. Licet hoc in Signo quoque caput mitellam gerat, ad pedes tamen desiderantur caligae, ut superiori penitus assimiletur. Hanc Deam Nympharum more, quo ad amictum spectat, indutam veteres exhibuerunt, & quoniam erat ἰοχέαιρα *sagittis gaudens*, ut eam vocat Hesiodus (1), nudis brachiis utebatur, ut esset ad iaculandum expeditior, quemadmodum ob venationis studium succintam vestem in deliciis plerumque habuit, ne cruribus implicaretur, neve stirpibus, aut spinis inter insequendum feras detenta moras cum praedae dispendio nectere cogeretur. Hinc Ovidius (2):

Talia pinguntur succintae crura Dianae,
Cum sequitur fortes fortior ipsa canes.

Tab. XLVII.

FLORA.

Venutius

Flora a Graeco verbo χλωρὶς etymon suum trahit. Latina vox Flora est, mutata nimirum littera X in alteram F. Recepta tamen in Latium Graeca ipsa vox *Chloris* est, & passim a Latinis usurpata. Plinii Codex Vaticanae Bibliothecae (3) habet: *Romae Praxitelis opera sunt Chloris, Triptolemus &c.* In vulgatis est *Flora*. Si Fabulatores audiamus, nupsit Flora Zephyro; Inde eam Chlorin, & Zephyritin scribunt Viri docti. Florae vestis erat tenuis, & versicolor, ut Ovidius ait (4):

Sic est haec cultu versicolore decens

In Glossis versicoloria sunt ποικιλόχροα. Vestis vero versicolor a Graecis dici-

(1) *Theogon. vers.* 14., & 918.
(2) *Amor. Lib. III. Eleg. I. vers.* 31.
(3) *Lib. XXXVI. cap.* 5. *Cod.* 507.
(4) *Fast. Lib. V. vers.* 123.

dicitur ἀνθίνη ἑορτὴ, unde etiam in Floralibus haec gestari solita, forsan quod propter florum varietatem ab horum Ludorum nomine non abhorrerent. Flora vero non tantum floribus, sed etiam pomis, vel uvis ornabatur, ut ex Columella, aliisque Imaginibus huiusce Deae adhuc exsistentibus clarissime evincitur.

TAB. XLVIII.
POMONA.

Venuhus

CUM Romani res rusticas praecipue adamarent, ideo iam inde ab initio Urbis Pomonam hortorum Deam coluere. Haec, quam exhibemus, copiae cornu uvis, & pomis referto de more insignitam, ex Alabastrite tota est, capite dumtaxat, & manibus exceptis, quae sunt e Lydio lapide. Narrant Mythologi (1), Vertumnum, qui hac virtute praeditus erat, ut in quas vellet, figuras se verteret, Pomonae amore iamdiu ardentem, edentulae anus simulata facie, & baculo innitentem in hortos intrasse, quos dum oculis lustrat, eos laudat, Virgini adblanditur, & osculatur. Tum singula percurrens, quae hortorum sunt ornamenta, ex iisdem suadendarum nuptiarum arripit occasionem. Cerne, inquit, adserpentes huic frondoso parieti foecundas arbusculas, prunis eximiis, malisque generosis onustas, paxillis tamen, quasi maritis coniunctas dixeris, amico fulcimine sustentatas: quibus si carerent, humi prolapsae sterilescerent. Si hoc vides, cur non ex eo capis exemplum? Hunc Vertumni sermonem ita eleganter exprimit Ovidius (2):

At si staret, ait, caelebs sine palmite truncus,
Nil praeter frondes, quare peteretur, haberet.
Haec quoque, quae iuncta vitis requiescit in ulmo,
Si non nupta foret, terrae acclinata iaceret:
Tu tamen exemplo non tangeris arboris huius?

Et sane tantum fuit huius sermonis robur, ut postquam Pomona Vertumnum vidit, anilibus instrumentis demissis, in iuvenilem formam redeuntem, illico tacta fuerit, atque, ut ait idem Ovidius, *mutua vulnera senserit*.

(1) *Ovidius Metamorph. Lib. XIV. vers. 664.* (2) *Idem ibid. vers. 772.*

TAB.

Tab. XLIX.

POMONA.

VENUTIUS

POmonam aiunt ita hortis praefuisse, ut arboribus etiam ad maturos fructus gignendos vires tribueret. Audiamus Ovidium, ubi de Vertumno loquitur (1):

Rege sub hoc Pomona fuit, qua nulla Latinas
Inter Amadryadas coluit solertius hortos;
Nec fuit arborei studiosior altera foetus;
Unde tenet nomen, non silvas illa, nec amnes,
Rus amat, & ramos felicia poma ferentes.

Rustici Pomonae sacra ita peragebant (2). Primum expiabantur fumo sanguinis equini combusti, vituli e matris utero avulsi cinere, cum ea praegnans alterius sacrificii caussa immolata esset, & fabae stipula. Postea libis ex musto, & lacte Deae oblatis solemni prece sacrificium absolvebant. Ut plurimum symbola huius Deae eadem sunt, ac Cereris, Florae, Abundantiae. Haec Statua copiae cornu sustinet laeva, dextera pateram, libantium more. Caput discriminatis mirifice crinibus ornatur.

Tab. L.

POMONA.

AMADUTIUS

SIgnum hoc plerique ad Floram amandant. Venutius noster ad Vindemiam pertinere existimaverat. Nos vero Pomonam facile iudicamus; atque ad id nos praecipue impellunt poma, quae superexstantia racemis, & pampinis intuemur, quaeque in linteo recepta utraque manu Dea ipsa sustentat. Qui enim Flora censeri potest sine ullo florum vestigio? Vel quid Vindemia commune habet cum pomis, ut ob racemos iisdem immixtos hoc nomine fuerit Signum hoc nostrum salutandum? Quod vero pomis additi sint racemi, nequaquam Pomonae symbola adulterata dixeris, cum uvam, utpote arboreum fructum in pomorum classem recipi nihil prohibeat. Statuae huius caput, & manus e lapide Lydio sunt; reliquum corpus ex Alabastrite.


(1) *Lib. XIV. Metamorph. vers. 624.* (2) *Varr. de Re Rust.*

TAB.

TAB LI.

VENUTIUS

N A I S.



Uod Deae Fontium ornatui essent, innuitur ab Ovidio [1]:

Naiades effusis aliae sine pectinis usu,
Pars aderant positis arte, manuque comis.
Illa super suras tunicam collecta ministrat:
Impediunt teneros vincula nulla pedes.

Vestitum quidem, qualem spectamus in hac Statua, & in antiquis Nympharum picturis, in quibus brachia detecta, & femora apparent, a rudioribus primis temporibus desumptum suspicor; quod feminae praesertim agrestes caprinas pelles ad lumbos succingerent, nodo ad eas alligandas ex corio crurum anteriorum facto. Merito igitur φαινομηρίδες appellandae, quo nomine dictae postea sunt ab Ibico [2] Virgines Lacaenae, quod incedentes femora retegerent. Accidebat id autem, quod tunicae partes a lateribus ad imum dissutae motu diducerentur inte se, ut ait Plutarchus [3]: Τῶν γὰρ ὄντι τοῦ παρθενικοῦ χιτῶνος αἱ πτέρυγες οὐκ ἦσαν ἀνεῤῥαμμέναι κάθοιεν, ἀλλ᾽ ἀνεπτύσσοντο, καὶ συνανεγύμνουν ὅλον ἐκ τῷ βαδίζειν τὸν μηρόν. *Revera virginalis tunicae pinnae inferius non erant assutae, sed diducebantur, & nudabant totum femur inter incedendum.* Idem testatur etiam Sophocles [4]. In Museo Collegii Romani vidi iconem aeream mulieris pomum manu gestantis, cui non ad latera tantum, sed ante etiam, & retro tunica dissuta est, pinnis undatim decidentibus. Fontes pro Numinibus habitos, ex pluribus Gruterii [5], aliorumque Inscriptionibus colligitur. Hanc tam multiplicem Deorum copiam, &, ut ipse ait, infinitam superstitionis rationem refert, improbatque Cicero [6]: *Itaque* (inquit) *& Fontis Delubrum Maso* (loquitur de C. Papyrio Masone) *ex Corsica dedicavit, & in Augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Anenionem, Nodinum, aliaque propinquorum fluminum nomina videmus.* Nostra Fontis Nympha urnam manibus tenet, in qua larva cernitur ore hiante, & foramine utrimque producto, ex quo aqua praeterfluat, ut fieri solet etiam hoc tempore.

(1) *Fast. Lib. I. vers. 405.*
(2) *Plutarch. in Paralel. Numae, & Lycurgi.*
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.*
(5) *Pag. 94., & 1072.*
(6) *De Nat. Deor. Lib. III.*

CLASSIS

CLASSIS IV.

QUAE CONTINET

DEOS INDIGETES.



TAB. LII.

HERCULES.

VENUTIUS

HErculem habes in hoc marmore a duodecimo labore quiescentem, cum aurea poma Eurysthaei iussu, interempto prius Dracone pervigili, qui ea servabat, ex Hesperidum Hortis victor abstulisset. Res quidem vulgatior est, quam ut explicatione indigere videatur. De situ hortorum Hesperidum lis est inter Mythologos. Sunt, qui ponunt iuxta Lixon Coloniam a Claudio Caesare deductam; Solinus cum Virgilio eosdem in Mauritania Tingitana fuisse ait apud Antaei Regiam. Plinius in citeriore Africa locat, Claudianus ad Syrtim magnam, & Dritonem fluvium; Et Ptolemaeus [1] cum eodem Plinio [2] pro comperto habet (quod mirandum est) Hesperidum Hortos fuisse in ore Cyrenaica apud Berenicis Urbem. Si quis Fabulam ad Historiam traducere voluerit, meminerit Herculem Phoenicium, vel Aegyptium fuisse Mercatorem; Ηρακλῆς enim Graece, Latine *Hercules* est; *Haro - Kel* vero Phoenicio sermone *Mercator* [3]. Hercules igitur, seu Mercator ad Hesperidum regionem penetravit, & poma aurea sustulit, hoc est *oves aureas*, scilicet pulcherrimas [4]; Μῆλα enim Graece iuxta Palaephatum, & Diodorum significant tam poma, quam oves; Draco vero ovium Pastoris nomen est ab Hercule occisi. Ceterum ex Graeca voce μῆλα Hercules ipse Μήλιος, ut ait Hesychius, vel, ut vertit Gyraldius, Pomarius dictus est; pomaque in Boeotia in eius sacris offerebantur una cum tauro (ovem alii fuisse volunt) qui etiam eidem mactabatur. Hercules hic, leonina pelle ante pectus adstricta, & post humeros ad laevum brachium convoluta,

(1) *Geograph. Cap.* 4.
(2) *Nat. Hist. Lib. V. cap.* 5.
(3) *Bochart. Geogr. Sacr.*
(4) *Vid. Mythic. tempor. Histor. apud Cleric. Bibliothec. Univers. Tom. I. pag.* 245.

voluta, utraque manu poma tenet Hesperidum Hortis ablata. Imberbis est, qualis inspicitur in Capitolio (1).

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Venutius modo nos ad aliqua adnotanda invitat, ne in eius verba iurare videamur. Rudbekius vocem Herculis derivat ab *Kar-Kulle*, quod Punico idiomate sonat *ductor agminum*; quamquam haec ipsa vox ab הרוכל *Harokel* Hebraeorum, nempe *negotiator*, haud multum differre videatur. Aliae tamen de Hercule etymologiae circumferuntur, prout vel historice, vel physice perpenditur; hinc si pro Sole sumatur, quo sensu a Nonno Dionysiac. Lib. XI. *ἄναξ πυρὸς Rex ignis* dicitur, eius etymon ab הרך *harac ardere* repeti poterit. Antonius Silla Neapolitanus in Theogonia ipsius commentariis illustrata, & Neapoli nuper edita §. 19. pag. 39., & seq. aliam historiam ex fabula Herculis procudit, ac cum Ioh. Bapt. Vico poma aurea pro tritico, quod fulvi coloris est, quodque ab Atlante Hercules impetraverat, accipienda contendit. Hoc loci etiam de loco Hortorum Hesperidum idem Silla quaestionem instituit, quam videat, cui vacat. Verum quae est nonnullorum Litteratorum audacia, ne dicam vesaniam, qui tam egregia somnia aliqua cohonestata eruditione nobis impune mercari praesumant? Et oh nos bonos viros, qui haec etiam ioci caussa consectemur! Tandem monere nos modo oportet, Iohannem Vinckelmannium in eius Monumentis antiquis anecdotis Vol. II. Part. I. Cap. XXIV. §. II. pagin. 78., Statuam hanc nostram Herculi Pancratiasti tribuere, quod eidem sint aures obtusae, ac depressae, quales huiusmodi luctatorum generi, inter quos Hercules, & Pollux censebantur, aptari solemne erat.

TAB. XLIII.

HERCULES.

VENUTIUS


Ercules nudus cernitur clavae oleaginae leviter incumbens, & poma Hesperidum manu tenens, hispida barba, & prolixa. Eius Simulacrum erat ut plurimum ingens, ita ut Herculis vires significarentur, ob quas *Melampygus* est dictus, hoc est *clu-niater*, quod est magni roboris argumentum. De Cercopibus nota est fabella, qui hoc nomen Herculi indiderunt. De his meminit Herodotus, cum Xersis iter in Graeciam describeret, dicens eum Asopum fluvium transiisse apud dictas Cercopum sedes, ubi erat & lapis, qui Melampygus appellabatur, quod nomen nigrum etiam fontem significat. Sed redeamus ad Herculem. Plerumque nudus spectari solet, aliquando tamen leonina pelle utcumque contectus, cuius ea pars, quae leonis caput cooperuerat, galeae loco Herculi est. Clavam altera manu, altera arcum tenens, aliquando exhibetur non sine pharetra, quae pendeat

(1) *Bonarot. Numm. Carpin. pag. 81.*

deat ex humero. Huiusmodi Simulacrum aeneum erat decem cubitos altum, quod Olympiae visebatur. Fuit etiam apud Lacedaemones Herculis armati Signum, ut ait Pausanias (1). Apollodorus (2) refert Herculem ita etiam armatum fuisse, cum pro Thebis contra Minyas pugnavit. Eum vero terribili aspectu fuisse, vel illud fuerit argumento, quod quidam, eodem viso, prae metu in saxum obriguerint (3). Sed haec nimis nota.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Apollodorus loco a Venutio nostro laudato ait dumtaxat, Herculem λαβόντα ὅπλα παρ' Ἀθηνᾶς, *sumtis a Minerva armis*, bellum profectum esse, sed quae arma acceperit, nullibi memorat. Inferius quidem ob rem praeclare gestam refert, Herculem fuisse a nonnullis insignibus donatum muneribus, inter quae recenset πέπλον *peplum*, sive potius πέλτον *iaculum* (quod a Minerva accepit) ut secundis curis in sua ad Lib. II. pag. 58. appendicula legendum censet Benedictus Aegius Spoletinus, cui adstipulatur Thomas Galeius, & nuperrimus Editor *Collectionis Graecae ex Apollodori Bibliotheca &c.* Halae impressa Orphanotrophei impensis ann. MDCCLXIII., quem noluissem ita infensum in sua ad Lectorem Praefatione in Aegium nostrum, Virum eruditissimum, quem sane immerito tam acriter reprehendit, quemadmodum quilibet ipsius editionem, & varias alias, quas habemus ex ipso Aegio, naviter conferens cognoscere facile poterit. Verum & iaculum, & cetera arma, quae ab aliis Diis Hercules accepit, nonnisi post hoc certamen ipsi conlata memorat Apollodorus; Quare ex Apollodoro non liquet, quomodo ad hanc pugnam armatus Hercules accesserit, uti constare contendebat Venutius.

TAB. LIV.

HERCULES.

VENUTIUS

CUM tribus leonibus pugnam suscepisse Herculem, veteres fabulantur, eosque clava necasse, qua armatum cernitur nostrum Signum, Lestio scilicet, Heliconio, & Nemaeo, quem postremum in silva Nemaea, sive, ut alii volunt, in Themmesio Boeotiae monte apud Thebas invenit. Hunc leonem e Luna cecidisse, commentus est Achilles in Commentariis Arateis apud Angelum Politianum (4), quem cum Hercules clava (5), & iaculis esset aggressus, in speluncam adactum suffocavit, uti Diodorus pluribus refert. Nummi Aegyptiorum sub Antonino Pio percussi universos Herculis labores egregie repraesentant (6); quem semper huius primi laboris gloriatum ostendunt

(1) *In Lacon.*
(2) *Biblioth., sive de Deor. orig. Lib. II. cap.* 4.
(3) *Vid. Suid.*
(4) *Miscell. Cap.* 17.
(5) *Theocrit. Idyll. XXV.*
(6) *Morell. Specim. Rei Numm. Tab. VIII.*

dunt leonis exuviae, quibus eum ornatum plerumque veteres voluerunt. Herculis vultus, corpusque ferocitatem eius exprimit, & virium praestantiam, cuius staturam ad quatuor cubitos, pedemque unum extulit Heraclides Ponticus. Aulus Gellius (1) Pythagoram scribit ex Olympici stadii spatio Herculis proceritatem emensum esse. Os illi tribuit Poeta Tragicus Ion triplici dentium ordine circumseptum, corpusque omni ex parte villosum, ideoque a Graecis Μελανόπυγος est appellatus.

Tab. LV.

BELLEROPHON.

Amaduzius



Venutii nostri oculos effugerat praesens hoc Signum, cuius nos modo expositionem aggredimur. Exhibet hoc Bellerophontem Glauci Regis Ephyrae Filium, ita a Bellero quodam Corinthiorum Principe, quem e medio sustulerat, appellatum, cum antea a regendis equis Hipponous salutaretur. Cur hic Pegaso equo insidens exhibeatur, accipe fabulam. Referunt Mythologi, ipsum, cum per imprudentiam Deliadem fratrem, sive, ut nonnulli ferunt, Sirenem, aut, ut alii volunt, Alcimenem peremisset, ad Proetum Argos confugisse. Hic cum Stenoboeam Proeti uxorem de stupro illum interpellantem constanter repulisset, repulsae iniuria, & amori furore insaniens mulier apud virum innoxium hospitem accusat. Noluit Proetus illius sanguine violare iura hospitii, sed eum ad Iobatem Socerum cum litteris, quibus ipsius necem eidem demandat, mittit in Lyciam. Iobates in ultionem criminis ipsum ad Chimaeram interimendam mittit, a fera perditum iri arbitratus. Verum Bellerophon Neptuni beneficio nactus Pegasum equum ad Pirenem fontem ipsum conscendit. atque alarum praesidio in altum elatus eminus monstrum sagittis confodit, atque ob id ita Iobatem in sui admirationem rapuit, ut alteram illi ex filiabus Philonoëm cum regni parte uxorem dederit. Quare hic equus recte πτηνὸς, ut Apollodorus (2), & Strabo (3) eum vocant, sive πτερόεις, ut Pindarus (4), *alatus* nempe exhibetur. Mirari tamen contingit, cur Chimaeram sub sola leonis forma Statuarius voluerit

(1) *Noct. Attic. Lib. I. cap. 1.*
(2) *Apollod. Biblioth., sive de Deor. orig. Lib. II. cap. 3.*
(3) *Strab. Geograph. Lib. VIII.*
(4) *Pindar. Isth. Od. ζ. 7. ἀντιστροφ. κῶλ. ου.*

luerit confpiciendam, cum, ut ex Apollodoro (1) innotefcit, haberet προτομὴν λέοντος, οὐρὰν δὲ δράκοντος, τρίτην δὲ κεφαλὴν μέσιν αἰγός, *primam partem leonis, caudam draconis, triplex vero caput medium caprae*, quod & Servius (2) afferuit, & Hyginus (3). Hefiodus (4) quin etiam ita eam defcribit:

πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ
Δεινήν τε, μεγάλην τε, ποδώκεά τε, κρατερήν τε.
Τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαί· μία μέν, χαροποῖο λέοντος,
Ἡ δὲ χιμαίρης· ἡ δ' ὄφιος κρατεροῖο δράκοντος.
Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.

ſpirantem terribilem ignem
Trucemque, magnamque, pernicemque, validamque,
Illius erant tria capita: unum quidem terribilis leonis,
Alterum capellae: tertium vero ſerpentis robuſti draconis.
Ante leo, pone vero draco, in medio autem capra.

Ceterum fi Homerum, Lucretium, & Ovidium, cuius loca nota funt, audiamus, abeft a Chimaera caput draconis, ut duplex proinde dumtaxat adftrui debeat. Et fane fi numifmata, & alia monumenta infpiciamus, Hefiodi defcriptio haudquaquam recepta occurret, ut potius haec ipfa Chimaeram eo prorfus modo praefeferant, quo laudati Scriptores ceteri nobis proponunt. Scilicet in nummo aeneo Corinthiorum, quod praefertim a Nicolao Franc. Haymio (5) referri video, habetur in antica parte caput barbatum, ac diademate cinctum, quod ad Bellerophontem fpectare vix eft dubium, licet in nullo alio hactenus nummo Herois huius caput confpiciendum obvenerit; in poftica vero Chimaera duplici capite leonis nempe, & caprae inftructa, cuius reliqua pars corporis in draconem, five ferpentem definit, nec tamen eiufdem caput ullibi apparet. Mitto cetera huiufmodi, provocans nunc dumtaxat ad Signum aeneum Chimaerae non aliter conformatum, quod Florentia in Magni Ducis Tablino adfervatur, quodque Sebaftianus Blanchius (6) defcriptione adumbravit, quemadmodum aere infculptum Cl. Gorius (7) etiam exhibuit. Sed iuvat breviter cetera perfequi, quae Bellerophontis fabulam claudunt. Ipfe ergo

(1) *Apollodor. loc. cit.*
(2) *Serv. in IV. Aeneid.*
(3) *Hygin. Fab.* 57.
(4) *Hefiod. Theog. verf.* 319.
(5) *Thefauri Britann. Pars alter., edition. Iofephi Khell Loyolitae, Vindob. ann.* 1765. *Tab. VII. n.* 10. *p.* 81.
(6) *Ragguaglio delle antichità, e rarità, che fi confervano nella Galleria Mediceo-Imperiale di Firenze Part. I. In Firenze* 1759. *pag.* 79., *e* 80.
(7) *Muf. Florent. T. I. Stat. Tab. XXXIV. n.* 1. *pag.* 80.

go ſelici rerum ſucceſſu elatus dum Caelum evolare nititur, Iuppiter indignatus oeſtrum Pegaſo immiſit, adeo ut ſeſſorem excuſſerit, & in eos campos deiecerit, qui poſtea ab erroribus ſuis ἀλήϊοι dicti fuerunt, quod innuit Dionyſius Alexandr. (1):

τῆμος ἀφ' ἵππου
Ἐς Διὸς ἱέμενος πέσεν ἥρως Βελλεροφόντης.
Κεῖθι δὲ καὶ πεδίον τὸ Ἀλήϊον.

Hoc eſt, ut vertit Andreas Papius Gandenſis:

Iovis aethera cum heros
Bellerophon invectus equo delapſus ab alto eſt.
Hic & Aleaei campi.

Ex quo caſu claudus, & caecus factus vitam moeſtiſſimus finiit, unde Horatius (2):

Exemplum grave praebet ales
Pegaſus, terrenum equitem gravatus
Bellerophontem.

Hanc fabulam Divus Iuſtinus (3) ex depravato Sacrarum Scripturarum ſenſu elicitam tuetur; nam cum in Moſae prophetia expreſſis verbis deſignatum non eſſet, num adventurus ille Filius Dei eſſet futurus, & utrum pullo vehens manſurus in Terris, an aſcenſurus in Caelum, Bellerophontis fabulam, quam retulimus, Ethnicos commentos eſſe, exiſtimat. Alexius Symmachus Mazochius autem Vir ſacrarum, profanarumque antiquitatum peritiſſimus (4) ex Ioſephi hiſtoria, quae in Geneſi (5) habetur, ortum fuiſſe Bellerophontis μῦθον ingenioſe exiſtimat, quod ſicuti Proeti uxor Bellerophontem ad ſtuprum invitavit, & ſpe fruſtrata, tamquam de inlata iniuria apud virum ſuum incuſavit, ita Pharaonis uxor *iniecit oculos ſuos in Ioſeph, & ait, dormi mecum*, nec eum tamen ad id nefas inflectens apud virum de intentato ſtupro inſimulavit; Et quemadmodum deinde etiam poſt multas aerumnas Bellerophon a Iobate altera ex Filiabus Philonoe cum Regni parte donatus eſt (6), ita & Ioſepho poſt carceris poenas Rex Pharao ſecundas poſt ſe partes in Regno detulit, eumque cum Aſenethe Putipharis Filia matrimonio iunxit (7). Fallitur tamen doctiſſimus Mazochius, dum Belle-

(1) *Dionyſ. de Sit. Orb. v.* 870.
(2) *Horat. Lib. IV. Od. XI. v.* 26.
(3) *S. Iuſtin. Apolog. II.* ὑπὲρ χριστιανῶν.
(4) *Spicil. Biblic. Tom. I. pag.* 130., & 143.
(5) *Gen. Cap.* 39.
(6) *Homer. Iliad.* ζ. *verſ.* 7.
(7) *Gen. Cap.* 41.

Bellerophontem a Proeto in dimidium regiae poteſtatis cum Filiae munere vocatum aſſerit [1], cum Homerus [2], & Apollodorus [3] non de Proeto, ſed de Iobate id praedicent. Ceterum id iam ante Mazochium adverterat Daniel Huetius [4]. Ex iis ſane pluribus, quae fabulis praedicantur, quaeque vel ad hiſtoriam, vel ad ſacra traducuntur, nullum aliud forte exemplum invenire eſt, quod hoc noſtro veroſimilius affirmari poſſit, & cui nos propterea nunc aliquid tribuere viſi ſumus. Tandem nec illud intactum relinquere poſſumus, inter Gloſſaria Theotiſca medii aevi, quae ex Schedis San-Blaſianis IX. ſaeculi, cum nonnullis adnotatiunculis I. Sprengii Baſileenſis edidit Cl. Abbas Congregationis S. Blaſii in Silva Nigra, & S. R. I. Princeps Martinus Gerbertius poſt Itinera Alemann., Italic., & Gallic. [5], recenſeri VII. Mundi Miracula ab iis, quae Philo Byzantius a Leone Allatio editus, aliique retulerant, fere prorſus diverſa, & quarto loco deſignari Simulacrum Bellerophontis ferreum cum Arcu ſuo in Smyrna Civitate, in aëre ſuſpenſum, nulla re innixum, ſed quod lapidis Magnetis, qui habetur in arcu, aſſumptione mirabiliter trahitur, & menſura aequiparata conſiſtit, & cuius ponderis aeſtimatio eſt circa V. milia librarum ferri.

TAB. LVI.

AESCULAPIUS.

VENUTIUS



Eſculapium, ſive Aſclepium, ut Latini etiam Graeca voce dicunt, tamquam magnum Medicinae Deum coluerunt veteres [6]. Omittimus hoc loco ſubtilius quaerere, quid de eo commenti Graeci ſunt, quomodo natus, quo genere, quotuplex demum ſit (nam triplicem faciunt) & quam varia fuerit antiquitus eius repraeſentandi ratio. Satis fuerit dicere, virum aliquem fuiſſe Medicinae peritiſſimum, qui vixit paullo ante Troianum bellum, & ob artis praeſtantiam inter Deos relatum. Illum Apollinis, & Coronidis Nymphae Filium aiunt, Chirone Magiſtro, Medicinam didiciſſe. Reliquam illius hiſtoriam, & fabulam pluribus verbis deſcriptam, & iconibus,

(1) *Mazoch. ibid. pag.* 243.
(2) *Homer. loc. cit.*
(3) *Apollodor. loc. cit.*
(4) *Demonſtr. Evang. Tom. I. Propoſit. IV. cap. IX.*
(5) *Typis San-Blaſianis ann.* 1765. *pag.* 89., *&* 90.
(6) *Cicer. de Leg. Lib. II.*

nibus, numiſmatibuſque explicatam videre eſt apud Montfauconium [1]. Haec Statua induta videtur Graecanico pallio, quo ita ſiniſtrum tegitur brachium, ut dexterum exertum, & nudum ad baculum ſuſtinendum adhibeatur, cui ſerpens circumvolvitur. Ex Philoſtrato, Hygino, Macrobio, aliiſque habemus, Aeſculapium in carcerem coniectum fuiſſe a Minoe Cretae Rege, quia Glauco filio vitam reddere renuebat. Cum ibi detineretur, & cogitaret, quid agendum ſibi eſſet, dicitur anguis ad bacillum, quem manu tenebat, adrepere coepiſſe, quo interfecto, fertur alter anguis eodem veniſſe ore ferens herbam, quam ſupra Aeſculapii caput poſuit, deinde fugiſſe; Ea Aeſculapius uſus Glaucum ab Inferis revocaſſe. Hanc igitur autumo originem eſſe tribuendi Aeſculapio baculum ſerpente implicitum, quem in omnibus fere eius Simulacris modo exſiſtentibus videmus, & ob id potius, quam alia de cauſſa angues ſemper in Aeſculapii tutela fuiſſe habitos.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Quoniam Venutius nullam barbae, quam gerit Aeſculapius in hoc Signo, & qua in altero ſequenti deſtituitur, rationem reddit, pauca nos modo addenda cenſuimus. Notus eſt quapropter iocus Dionyſii ſenis, qui abstrahens barbam auream Aeſculapii Signo, quod erat in Epidauro, ait non decere donari barba Aeſculapium filium, qua careret Apollo Pater, ut narrat Valer. Maximus Lib. I. cap. I. Verum haud male argumentari eos cenſeo, qui Aeſculapium interdum fingi ſenem ideo exiſtimant, ut innuatur Medicam artem nequaquam eſſe adoleſcentium. Hinc Cicero de Officiis Lib. I: *Nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu, & exercitatione conſequi poſſunt*. Sic etiam Ovidius Metamorph. Lib. VI. verſ. 28:

Non omnia grandior aetas,
Quae fugiamus, habet, ſeris venit uſus ab annis.

Nec aliter Euripides in Phoeniſs. v. 532:

Ἀλλ' ἡ 'μπειρία
Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον.

ſed experientia
Habet aliquid, quod dicat iuvenibus ſapientius.

Ceterum baculi, quem Aeſculapio tribuit Sidonius IV. 3., Apuleius I. Metamor., tum & Ovidius XV. Metamor. v. 659., rationem etiam vide apud Voſſium Idol. IX. 32., & apud alios Mythologos; quemadmodum conſuli poterit Thomas Guidotius Anglus, Medicus, qui brevi Opuſculo omnia complexus eſt, quae ad Aeſculapii ſymbola ſpectant, quaeque de Aeſculapio tum Graeci, tum Latini Scriptores pronunciarunt.

(1) *Antiq. Explic. Tom. I. Tab. II. num. 1. 2. pag. 1.*

TAB.

TAB. LVII.

AESCULAPIUS.

VENUTIUS


Aec praeclariſſima Statua, cuius ad pedes draco decumbit, fere ſimilis illi eſt, quam deſcripſit Pauſanias in Corinthiacis (1). Quodad draconem attinet, qui adiungi Aeſculapio ſolet, ita opinatur Feſtus Pompeius (2): *In Aeſculapii*, inquit, *tutela eſt draco, quod vigilantiſſimum ſit animal, atque ad tuendam valetudinem aegroti maxima debet eſſe in Medicis vigilantia*. Alii alias rationes afferunt, inter quas & haec eſſe poteſt, quod ut ſerpens quotannis renovat cutem, ita Arte Medica homo iuvenile robur quodammodo reparat, & pulchritudinem. Quare Martialis de Coma Earini ad Aeſculapium (3):


Tu iuvenile decus ſerva, ne pulchrior ille
In longa fuerit, quam breviore coma.

Conſuevit addi Aeſculapio etiam baculus, & quidem nodoſus; ut Artis Medicae difficultas ſignificetur. Laurea item Corona, quam e Pauſania (4) Feſtus refert inter Aeſculapii inſignia; ea enim arbor ad abigenda mala non pauca utilis habebatur. Quamquam vero prolixa ut plurimum barba fingi Deus iſte conſueverit, aliquando tamen, ut in noſtra Statua, imberbis oſtenditur, qualem deſcribit Petrus Appianus (5), referens Auximi in Piceno Aeſculapii Signum marmoreum hac forma fuiſſe. Huiuſmodi erat apud Phlyaſios, qui Peloponneſum incolebant, & apud Sicyonios; apud quos ſane in veſtibulo Templi, quod huic Deo dicatum erat, Aeſculapium ex auro, & ebore imberbem fuiſſe, narrat Pauſanias (6).

TAB. LVIII.

HYGIA.

VENUTIUS


Ygiae, vel Salutis Simulacrum ſtantis hic cernitur, in quo ſerpens brachio advolutus caput protendit ad pateram laeva ſuſtentatam, tamquam lambere eam geſtiens. Oblongi crines idcirco fortaſſe ſunt, ut indicent mulierum morem, quae comam huic Deae dicabant, ut puellarem ſervarent venuſtatem, ea ratione, qua Aeſcu-

(1) *Lib. I.*
(2) *In verb.* Aeſculapius.
(3) *Lib. IX. Epigr.* 18.
(4) *In Laconic.*
(5) *Antiquit. Lib. I.*
(6) *In Laconic.*

Aeſculapio pueri, ut apud Martialem (1) iam vidimus ſuperius. Obſervat Harduinius, Aeſculapium, & Hygiam non eſſe minorum gentium Deos, ſed eumdem fortaſſe fuiſſe Aeſculapium cum Iove, eamdem cum Hygia Minervam. Id veriſimile eſt ex Inſcriptionibus (2), in quibus Iovi, & Minervae gratiae ab aegris redditae ſignificantur. Porro Minervae Medicae Templum Romae fuit in Regione Urbis quinta (3). Gruterius Inſcriptionem refert, in qua ſub Minervae etiam tutela capilli mulieris ponuntur, ita (4):

MINERVAE
MEMORI . TVLLI
A . SVPERIANA . RES
TITVTIONE . FACTA
SIBI . CAPILLORUM

In antiquorum nummis legimus SALVTI . AVGVST, SALVS AVGVSTA, SALVS . PVBLICA (5). Haec tam honorifica appellatio cum Imperatorum propria eſſet, Saluti, ut opinor, tribuebatur, cum eorum aliquis valetudinem recuperaſſet, aut pro eadem tuenda vota Saluti fierent; quamquam ea poteſt eſſe ratio vel potior, quod privatam uniuſcuiuſque, & publicam Salutem in Principibus ſignificabant eſſe repoſitam, eamque ſibi ab iiſdem, tamquam a Diis ſalutaribus polliceri; Ideoque Auguſtarum etiam vultum turpi aſſentatione ſub Salutis exprimebant imagine.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Nonnulla nunc a nobis neceſſario adnotanda veniunt; ac imprimis animadvertendum eſt, caput huius Deae crinibus oblongis, quos & Venutius innuit, ac mitella quinetiam, quae eius oculos effugit, ornatum, recens omnino eſſe, & trunco adſcitum. Tum deſiderandum fuiſſe videbatur, exponi aliqua ratione a Venutio pateram, ſive craterem, qui in ſiniſtra manu a Dea ſuſtentatur, & de quo Bonarotius in Numiſmatibus maximi moduli pag. 82., & Maffeius in Gemmis antiquis To. II. pag. 116. Crater hic ex Polluce VI. 100. μετανιπτρὶς dicebatur, qui ſane reſpondere videtur aliquo modo illi, qui in Pſalmo iuxta Hebraeos קיו 116., v. 13., & iuxta LXX. Viros 115. v. 4. dicitur כוס-ישועות *Calix Salutum*, in Graeca vero LXX. Virali verſione Ποτήριον σωτηρίου, & in vulgata Latina *Calix Salutaris* redditur. Quare appoſite veteres Chriſtiani Artifices Divum Iohannem Apoſt., & Evang. finxerunt manu tenentem poculum cum

(1) *Lib. IX. Epigr.* 17., *&* 18.
(2) *Gruter. pagin.* 122. *n.* 41., *& pagin.* 1065. *n.* 5., *Gor. Cl.* 1. *n.* 4.
(3) *Sex. Vict., Nard., Donat. &c.*
(4) *Gruter. pag.* 1067. *n.* 4.
(5) *Vaillant in Numm. Impp., Patin. &c.*

cum serpe ex eodem erumpente, forte ut innueretur *Calix* iste *salutaris* Regii Psaltis; quemadmodum ad serpentem aeneum a Moyse in deserto erectum, quo omnes sanabantur, quique ex ipso Johanne Cap. III. v. 14. symbolum fuit, & prophetia de Jesu Christo hominum Reparatore, ac Sotere, provocasse Christianos ipsos verosimile est, quod etiam Bonarotius in Vitris Caemeterialibus pag. 13. erudite animadvertit. Ceterum a Phoenicibus ipsis ex fide Philonis Bibli serpentes ἀγαθοὺς δαίμονας *bonos Genios* appellatos esse constat, quod nimirum salutiferi haberentur. Aliam vero Macrobius Saturnal. Lib. I. cap. 20. reddit ipsius serpentis rationem, dum inquit: *Simulacris & Aesculapii, & Salutis draco subiungitur, quod hi ad Solis naturam, Lunaeque referuntur*. Tandem monemus Gruterianam Inscriptionem a Venutio superius adductam haud probari a Cl. Scipione Maffeio, ut potius νοθείας vitio laborare eam censeat in Arte Critica Lapidaria Lib. III. Cap. IV. col. 384., cui Sebastianus Donatius Lucensis in To. I. Supplementi ad Thesaurum Muratorianum veterum Inscriptionum locum fecit.

TAB. LIX.

HYGIA.

VENUTIUS



ANgues apud veteres Sanitatis signum erant; Nam sicut hi, vetustis positis exuviis, innovantur, ita & homines, sanitate recuperata, restaurari quodammodo videntur. Ideo Salus effingebatur ab antiquis Mulieris forma pateram tenentis, penes quam erat anguis, qui eius brachio advolveretur. Sola facies, & manus, imique pedes nudi erant; partes ceterae lanea tunica, & pallio velabantur. Haec fuit Aesculapii Filia: Tres enim hic habuit Filias, Hygiam hanc, Panacaeam, & Aegiam; tres item Filios Iasonem, Machaonem, & Podalirum. Hygiam vero, & Salutem dictam credimus, ut Soter, & Servator dicebatur Pater; quia non solum ad depellendas aegritudines, verum etiam in quibuscumque periculis invocabatur. Aliquando Iuppiter praeponitur Hygiae, & Aesculapio, ut apud Gorium (1), quandoque Apollo, qui Aesculapii Pater fuit, ut in hac Inscriptione:

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧ.....
ΣΜΙΝΘΕΙ ΑΠ.....
ΛΩΝΙ ΚΑΙ ΑΣΚΛΙ
ΠΙΩ ΣΩΤΗΡΙ
ΚΑΙΜΟΖΥΝΕΙ
ΤΑΙΣ ΚΑ ΦΛΩ
ΡΩΝΙΟΣ ΜΑ
ΚΡΙΝΟΣ ΚΟΥ
ΡΑΤΩΡ ΕΚ ΤΩΝ
ΙΔΙΩΝ ΑΝΕΘΗΚ....

(1) *Inscript. Donian. Cl. I. num. 83. pag. 24.*

Quod

Quod felix, fauſtumque ſit.
Smintheo Apol-
lini, & Aeſcula-
pio Salutari,
& Conſanguine-
is Diis Cl. Flo-
ronius Ma-
crinus Cu-
rator de
ſuo poſuit.

Hic vocem καίμοξυνέταις legendam eſſe ducimus χ' αἰμοξυνέταις, quippe potuit per inſcitiam Quadratarii K irripere pro X, ut ſenſus ſit, *Diis Conſanguineis*, puta *Saluti*, aliiſque Aeſculapii Liberis. Aliter tamen hanc vocem interpretatur Cl. Praeſul Dominicus Georgius Amicus noſter (2), qui hanc Inſcriptionem eruditiſſime commentatus eſt.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Graecam hanc Inſcriptionem nos heic retulimus ad fidem exemplaris, quod ab erudito Viro Ioſepho Torellio Veronenſi, curante Guidone Vio Monacho Camaldulenſe, ex autogropho ipſo diligenter exſcriptum nobis Vir Cl. Ianus Plancus Ariminenſis, CLEMENTIS XIV. P. M. Archiater extra ordinem pro ſua in nos humanitate comiter communicavit; quamvis tamen Venutii noſtri interpretationem ſartam tectam ſervaverimus, cum ab eadem ſane haud a nobis eſſet diſcedendum, ut qua ratione hoc monumentum ipſe adduxerit, facile conſtaret: ea enim immutata, idem prorſus a re ſua alienum videretur, ut inferius patebit. Verum ad marmoris ipſius fidem confugiendum nobis fuit, cum unumquodque huius Inſcriptionis exemplar, quod refert Cl. Praeſul Dominicus Georgius loc. ſuperius laud., Muratorius in novo Theſauro veterum Inſcriptionum pag. LXXXIV. n. 9., Maffeius in Muſeo Veronen. pag. XXXVI. n. 3., Ioſephus Bartholius Cimeliarcha Regius in Marmoribus Taurinenſibus Part. I. pag. 222., ac tandem Venutius in Mſs. ſchedis, longe & linearum ordine, & litterarum forma differre videremus. Quoniam vero hanc Inſcriptionem heic protulit Venutius ob quartam lineam, ubi legitur ΚΑΙΜΟΞΥΝΕΙΤΑΙΣ, qua voce ipſe Deos Aeſculapii *Conſanguineos* deſignari cum Auctore Marmorum Taurinenſium cenſuerat; nos propterea heic advertimus, aliter eamdem lineam a Muratorio exponi, qui *Moſynitas Deas* in eamdem invexit, & quas proinde, tamquam Numina quaedam a Moſynis antiquis Graeciae Populis peculiari honore exculta habuit. Muratorii ſententiae acceſſit Maffeius, qui Epichorios Deos, vel Deas, quarum appellatio *Mcxynitae* a Moſyna Phrygiae olim Civitate, ibidem deſignari exiſtimavit. Nos vero quamquam interpretationem, quae *Conſanguineis Diis* indulget, non improbemus omnino; tamen cum ex Ethnicorum Theologia conſtet, ἀναίμονας, ideſt *ſanguinis expertes*, ut loquitur Homerus Iliad. ε. v. 341., Deos habitos fuiſſe, quos proinde male quis αἰμοξυνέτας *ſanguine coniunctos* appellaret; tum ne

(1) *Vid. Diſſert. Domin. Georg. in Opuſc. Calogerianis primae Collect. Tom. XV. pag.* 157.

ne marmoris fidei vis inferatur, ac praeter necessitatem Quadratarius inscitiae, vel oscitantiae insimuletur, qui X insculpserit K, ut superius Venutius innuit, potius Muratorii, & Maffeii summorum Virorum sententiae adhaerendum censemus, qui Graeca Numina Topica ea voce designata voluerunt; quod eo verosimilius efficitur, quod Inscriptio haec ex Troade advecta certo perhibeatur. Supervacaneum modo esset Georgii interpretationem, quam reiicit ipse Venutius, nos heic oppugnandam pluribus aggredi, qui *Contubernales Deos* ibidem expressos putavit, cum nemo non videat, quam anxie, non aliter nimirum, ac sutor, qui alutam dentibus protrahat, urgendum sit etymon, ut *Moxynitae* a σύναμι, vel a σύνναος, ut Georgio lubet, repetantur. Tandem monendum a nobis est, hoc ipsum Hygiae Signum ex Hortis Matthaeiis aere caelatum adductum fuisse a Wibrando Geestio Anglo in Libro, quem Amstelodami anno CIϽIϽCCII. patrio idiomate edidit, & cui titulum fecit *Het Kabinet der Statuen*, p.60. Ceterum a Prototypo parumper recedit, quod ibidem Dea craterem dextera manu, serpentem sinistra tenens exhibeatur, quod est omnino contra ipsius Monumenti fidem, ut ex nostro exemplari, quod accuratius sane est, patebit.

TAB. LX.

AMAZON.

VENUTIUS

HAnc Statuam si quis vel leviter contempletur, facile intelliget pertinere ad Amazonem. Nonnulla habemus apud Auctores de cultu Amazonum; Nonnulla quoque ad eam rem pertinentia attingit Arrianus (1), sed breviter admodum; Nec multo in his diligentior est Strabo (2). Verumtamen qualis earum cultus fuerit, utcumque ex numismatibus, & aliis monumentis cognosci potest. Habitu virili ornatas Amazones exhibet numisma depromptum e Thesauro Caroli Patinii (3) a Thyatirenis, & Smyrneis percussum; in eo duae effigies spectantur; Una quidem Mulieris capite turrito, veste autem talari, quae ποδήρης dicitur, eratque feminarum propria; hanc Thyatirae Genium esse, Patinius interpretatur: Altera autem viri armati cum pelta Amazonia, & bipenni, quae Smyrnaeorum insigne fuit. Sub hac effigie latere Amazonem idem Patinius peltae, & bipennis argumento coniicit, nec vanam esse hanc eius coniecturam, alius maioris moduli nummus aereus eodem prope typo, & sub eodem Magistratu percussus arguit, in quo Amazon solito virili habitu spectabilis exhibetur, quemque Morellius (4) delineavit ex reconditis Goltzii ectypis. Ceterum & in aliis nummis Amazones cultu virili insignes videre est, ut in nummo Caracallae, qui in Regia Gaza adservatur. Non desunt tamen

(1) *Lib. VII. de Alexandri Expedit.*
(2) *Lib. II.*
(3) *Patin. Numm. Select.*
(4) *Specimen Rei Nummar.*

tamen nummi, in quibus Amazones veſte ad talos demiſſa, & plane muliebri amictae ſpectentur, ut in Macrini numiſmate apud Triſtanum (1). Maxime vero id perſpicuum eſt ex noſtra praeclariſſima Statua, ad cuius ſimilitudinem expreſſa ea videri poteſt, quae in Cimelio Regio (2) conſpicitur. Sed & baltheo praecinctas fuiſſe, liquet ex nono, ſive ut alii malunt, ſexto Herculis labore, per quem Hippolytae earum Reginae baltheo, quo nullus in orbe pulchrior, potitum fuiſſe comperimus. Praeterea cothurnis uſas locus Plutarchi in Pompeio confirmat. Ad id referendum duco anaglyphum illud in urna ſepulcrali, quae in Muſeo Capitolino adſervatur, peltarum, & cothurnorum in Amazonum ſtrage refertum. Noſtra Statua cothurnos non habet, ſed vannum ad latus, peltam, & galeam ad pedes: Papillam habet exertam, arcum laeva tenere videtur, quae omnia Amazonum propria ſunt, & explicantur a Petro Petito in ſua Diſſertatione de Amazonibus (3).

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Heic a nobis quaedam adnotanda nunc ſunt, quae & a Venutio praetermiſſa novimus, & quae ab eo attingi haud etiam potuerunt. Ac primum quidem advertimus, in parte ſuperiori plinthi, cui haec Statua inſiſtit, haberi hanc Epigraphem, quam omnium primus vulgavit Ioh. Winckelmannius Vir Cl. in Vol. II. Parte IV. Cap. V. pag. 242. veterum Monumentorum anecdotorum, quaeque ita legitur:

TRANSLAT. DE . SCHOLA . MEDICOR

Scilicet antiquitus in Porticibus praeſertim fuit locus, & ſtatio quaedam, inſtar litterarii ludi, in quem Philoſophi, aliiſque etiam facultatibus inſtructi homines convenire conſueverant, ut publicis diſputationibus, & colloquiis exercerentur. Huiuſmodi ſiquidem Scholam in Porticibus Octaviae fuiſſe, ex Plinio Lib. XXXVI. cap. 5. facile deprehendimus, quemadmodum Scholam Medicorum in Exquiliis fuiſſe novimus. Nec deſunt vetera monumenta, quae nobis litterarios huiuſmodi caetus repraeſentant. Unum habes in Suburbano Albanio, quod inſtructiſſimum omnium tum veterum, tum recentium elegantiarum Armamentarium merito cenſetur, & in quo nimirum cernitur Muſivum exprimens conventum VII. Medicorum, quos in Schola coactos dixeris, non ſecus ac in codice Bibliothecae Viennenſis Saec. VI., iuſſu Iulianae Aug. deſcripto, qui Dioſcoridis opera continet, & in quo ſcilicet ope Picturae quadratae, aureum fundum habentis, VII. Medici quinetiam una conferti, & ſuo nomine inſtructi exhibentur. Prioris Monumenti typum habes a Winckelmannio adductum loc. cit. Vol. II. num. 185.; alterius vero imaginem conſule apud Petrum Lambecium in Commentario de Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi Lib. II. Cap. VII. §. IV. p. 135. B. editionis, quam recenter adornavit Adamus Franciſcus Kollarius Vindobonae anno ƆIƆIƆCCLXIX., quemadmodum apud Montfauconium in Palaeographia Graeca Lib. III. Cap. II. pag. 197. huiuſmodi Picturae explicatio ex Lambecio ipſo petita haberi etiam poterit, etſi ibidem Picturae ectypus deſideretur. Ex aliis etiam antiquis Monumentis

(1) *Hiſtor. Auguſt. To. I.* (2) *Beger. Numm. maxim. modul. Regis Galliar.* (3) *Pag. 141., & ſeq.*

mentis discimus, huiusmodi Scholas Statuis fuisse instructas; inter quae memorare iuvabit Inscriptionem Monasterii Alexiani in Monte Aventino, quam post Smetium Ord. prim. pag. 12. n. *6.*, & Guterium pag. *169.* n. 5., ceterosque adduxit Vir Cl., & laudati Monasterii Antistes spectatissimus Felix M. Nerinius in Historicis eius Monumentis de Templo, & Coenobio suprascripto Cap. XXII. n. IV. p.348., & in qua Ti. Claudium Secundum Coactorem cum duobus aliis SCHOLAM CVM . STATVIS . ET . IMAGINIBVS . ORNAMENTISQ. OMNIBVS . sua impensa fecisse legimus; ut nunc praetereamus alteram Inscriptionem C. Avilii Licinii Trosii Curatoris a Gruterio pag. 170. n. 3. adductam, qua insuper ab A. Fabio Xantho ipsius Avilii Scholam Signis, & marmoribus de sua pecunia ornatam fuisse edocemur. Ceterum de Statuarum translationibus agemus in Sylloge Inscriptionum, ubi de hac Epigraphe sermo redibit, ne heic in re aliena nimis immorari nunc videamur. De hoc nostro Amazonis Signo rursus verba facit Winckelmannius loc. laud. Vol. II. Part. II. Cap. XVIII. pag. 184., ubi ipsum inter VII., quae Romae sunt, Amazonum Signa recenset, ac ibidem merito se mirari ait, cur Paullo Alexandro Maffeio dextera mamma orbata haec nostra Amazonis Imago visa fuerit, dum in eius Statuarum egregia Collectione Fig. CIX. pag. 202. ipsam adduxit. Siquidem vetera omnia huiusmodi Viraginum monumenta eas utraque mamma insignitas praeseferunt, licet una tantum exerta appareat, instar Dianae, cui ex Callimacho in eius Hymno ver. 213. γυμνὸς' ἀεὶ παρεφαίνετο μαζὸς', *nuda semper conspiciebatur mamma*. Si Venutius hanc nostram levi, unaque veste (ob quam Amazones apud Euripidem in Hecuba ver. *933.* *Μονόπεπλοι* audiunt) amictam, vestemque cingulo, quod a Polluce Onomast. Lib. VII. segm. *68.* σωϛὴρ dicitur, sursum protractam monuisset, integriorem, plenioremque huius monumenti explanationem praebuisset. Ex Maffeio autem, quem supra laudavimus, attulit hoc Signum aere caelatum etiam Montfauconius Antiq. Expl. To. IV. Par. I. Tab. XIV. n. 2. pag. 2. Insuper illud monere nos oportet, Signum hoc ipsum nunc in novum Vaticanum Museum invectum fuisse beneficio CLEMENTIS XIV. P. O. M. Ceterum alteram, quae Amazonis vulgo dicitur, Statuam consulere poteris, si lubet, apud eumdem Maffeium loc. cit. Tab. CXXIX. pag. 120., quae in Aedibus Caesiis in Civitate Leonina designatur; sed quae tamen a nostra habitu, ceterisque ornamentis plurimum differt, ut potius Iunonis Reginae censenda sit ex ipsius etiam Maffeii sententia. Habes & apud Montfauconium loc. cit. n. 4. aliam imaginem forte Hippolites Principis Amazonum ex Tablino Iustinianeo Romae, & duas alias Amazonum formas ex gemmis ibidem; quemadmodum & Amazonum pugna consuli poterit ibidem Tab. LXXI., & LXXII. Tum Montfauconius ipse in To. IV. Supplem. ad A. E. Lib. I. Cap. VI. §. III. Tab. X. n. 2. pag. *16.* adfert gemmam, quae apud Ficoronium exstabat, in qua exprimitur Amazon gestans humero sagaridem, sive bipennem, & inscriptione instructa sic: Λ Θ Λ, nempe ἄθλος *pugna*, quod nempe Amazones semper pugnis, ac certaminibus gauderent. Verum cum transacto Autumno anni CIϽIϽCCLXXI. Cortonae essem una cum Cl. Praesule Stephano Borgia a secretis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, vidi in Museo Coratio sive eamdem Ficoronianam, sive alteram similem gemmam, in qua exertis litteris legebatur A Θ A, nempe AΘAλαντη, una nempe Amazonum, quae sane lectio mihi, ceterisque verosimilior visa est, quamquam littera Θ pro T ibidem prostet, quod tamen in antiquis monumentis haud mirum accidit. Vide & Amazonum ad Troiam pugnam, & Panthesileam ab Achille occisam in Museo Florentino Vol. II. Tab. XXXII., & Achillem, qui eamdem morientem sustinet, Tab. XXXIII. n. II., & III., ubi n. I. imago Amazonis bellatricis etiam conspicitur. Tandem apud Laur. Begerium Mus. Brandenb. T. III. p. *3*18. habetur ipsarum Regina Hippolyte Theseum fugiens.

CLASSIS

CLASSIS V.

QUAE CONTINET

VIRTUTES DEAS.

TAB. LXI.

PUDICITIA.

Venutius

AMabant antiquitus Feminae ſub Pudicitiae Symbolo exprimi. Effingebant Deam Pudicitiam peplo, ſive flammeo vultum obnubentem in ſignum verecundiae, & pudoris. Iuvenalis de Meſſalina [1]:

Dudum ſedet illa parato
Flammeolo;

Qui ritus erat virginum nubentium. Duo vidi huiuſmodi Signa in Muſeo Collegii Romani, alterum fictile, alterum aereum, quibus veſtis ita toto corpore circumvolvitur, ut velet praeterea medium vultum, quemadmodum Romae ſtatis quibuſdam Feſtis diebus Virgines incedunt, cum dotem acceperunt. Pudicitia erat Dea verecundiae, & caſtimoniae Praeſes, ideo velo vultum obtegens. Nonnullae Auguſtarum tam in nummis, quam in ſignis volebant ſub hoc ſchemate effingi; Ita Fauſtina, Lucilla, Salonina, aliaeque ad deſignandam earum caſtitatem, quamvis ipſam non adeo colerent, ut de earum aliquot perhibetur. Etiam Veſtales, utpote quae caſtitatis inſignes cultrices, velatae erant, ut ex Iuſto Lipſio [2] praecipue conſtat.

TAB. LXII.

PUDICITIA.

Amadutius

QUam Paullus Alexander Maffeius [3] ſub Sabinae Hadriani Aug. Coniugis nomine vulgaverat; & ex eo quinetiam Montfauconius [4]; quam Venutius Fauſtinae Senioris Antonini Pii Uxoris Imaginem habuit; quae apud vulgum Antiquariorum audit Livia Druſilla quarta Auguſti Coniux; ac quae tandem Iohan-

(1) *Satir. X. v. 334.*
(2) *In Syntagm. de Veſt., & Veſtal.*
(3) *Raccolta di Statue antiche, e moderne T.CVII. p.99.*
(4) *Antiq. Expl. To.III. Part.I. Tab.XII. n.III. p.39.*

Iohanni Winckelmannio (1) Melpomenes Tragoediae Praesidis Simulacrum visum fuerat, nunc nos sub Pudicitiae nomine insignem Statuam proferimus. Caput siquidem recens additum est, nec illud sane vel Sabinae, vel Faustinae, aut etiam Liviae vultum exprimere ulla ex parte videtur; quemadmodum etiam nec multo validum argumentum esse videtur, quod pro adstruenda Melpomene ex cothurnis, quibus instructi Statuae huic nostrae pedes adsunt, petit Winckelmannius; Quandoquidem non ita Tragoedorum proprii erant cothurni, quin alii etiam interdum illis calcearentur. Commode siquidem ex Etymologico magno discimus, hunc calceum mulierum proprium fuisse: *Cothurnus, muliebre calceamentum quadrilaterum figura, quadrans utrisque pedibus* (2). Tum etiam prodit Iuvenalis, mulierum insectator acerrimus, quasdam earum, quas parcior natura breviores, contractioresque efformaverat, iisdem usas esse, ut altius attolerentur; qui si tum ab ipsis subducerentur, dimidia sui parte minores, humilioresque videbantur; Sic enim ipsas proinde subsannat (3):

Si breve parvi
Sortita est lateris spatium, breviorque videtur
Virgine Pygmaea, nullis adiuta cothurnis.

Quapropter quid mirum, si cothurnis instructi muliebri huic Statuae pedes aptantur? Tum si Imperatores quinetiam cothurnati in publicum aliquando prodierunt, ut de Caligula praesertim Svetonius (4) prodidit, cur non eorum Uxoribus (quarum forte aliquam hoc Signum olim praeseferebat, cum antiquo capite, quod nunc abest, donabatur) placuisse interdum credamus hoc calcei genus induere sive ad iuvandam corporis staturam, sive in regii generis ostentationem? His adde, Melpomenem, quae conspicienda venit in celebri Musarum Sarcophago Hortorum Matthaeiorum, quem Sponius (5) omnium primus, & Montfauconius (6) ex eo vulgaverat, quemque nos etiam inter Anaglypha proferemus, nudis pedibus exprimi, sed pro eius indicio larvam sinistra, dextera clavam tenere, ut in nummo Familiae Pomponiae apud Fulvium Ursinium (7) cernitur. Ceterum magni artificii Statua haec est;

(1) *Monumenti antichi inediti Vol. II. Part. I. Cap. VII. num. II. pag.* 26.
(2) *Vid. Argol. ad Panvin. de Ludis Circens. Lib. II. cap.* 19., *Pinell. ad illum; Casal. de Urb., ac Imper. Roman. splendor. Part. II. cap.* 7.
(3) *Sat. VI. vers.* 504.
(4) *In Calig. Cap.* 52. *num.* 2.
(5) *Miscell. Erud. Antiq. sect. II. art. IX. pag.* 44.
(6) *Antiq. Explic. To. I. Part. II. Tab. LVI. pag.* 112.
(7) *In Nummis Famil. Roman.*

eſt; corpus enim totum eleganti veſte obvolutum tegitur, caput velo, ut proinde ex hoc ipſo corporis habitu, qui Pudicitiae mire convenit, Imaginis huius titulum, nomenque mutuari ſatius duxerimus. Diadema vero, quod capiti ſuperimpoſitum eſt, nihil moramur, cum caput, ut diximus, recens adſcitum fuerit; etſi non ignoremus diademate ornatum in nummis haberi Fauſtinae Iunioris caput, ut baccatum, ac margaritis concinne diſtinctum ibidem etiam diadema ipſum apparet, quod & in capite Statuae huius noſtrae conſpicitur. Quod ad Pudicitiam pertinet, ut plurimum ſedet haec Dea peplo, ſive flammeolo vultum obnubens, ut verecundiam, & pudorem exprimat; quod in nummis Herenniae Etruſcillae, Lucillaeque praeſertim obſervatur [1]. Tandem monendus a nobis Lector eſt, Statuam hanc inter vetera Monumenta Muſei Clementino-Vaticani nuper fuiſſe adſcitam.

Tab. LXIII.
FORTUNA.

Venutius



Ortunam, quam eſſe putarent antiqui, & cuius potentiae, praeclare agnoſcimus ex Petronio Arbitro [2]:

Ac tali volucrem Fortunam voce laceſſit:
Rerum humanarum, divinarumque poteſtas,
Fors, cui nulla placet nimium ſevera poteſtas,
Quae nova ſemper amas, & mox poſſeſſa relinquis,
Ecquid Romano ſentis te pondere victam?
Nec poſſe ulterius perituram extollere molem?

Hac vana opinione ducti ita res ſuas omnes ab ea pendere arbitrabantur, ut dixerit Plinius [3]: *Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibuſque horis omnium vocibus Fortuna ſola invocatur, una nominatur, una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur, ſola arguitur*. Idcirco, ut ait Lactantius [4], *Simulacrum eius cum copia, & gubernaculo fingitur, tamquam haec & opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat*. Etſi vero tanto in honore Fortuna ubique eſſet, & Statuis eidem poſitis, ampliſſimiſque Templis exſtructis tantopere coleretur, non defuere tamen ex ipſis Ethnicis, qui eam merito irriderent.

(1) *Vaillant. Num. To. I.*
(2) *Satyric. cap. VIII. num. 15.*
(3) *Lib. II. Cap. 7.*
(4) *Divin. Inſtitut. lib. III.*

derent. Praeneſtinum eius Templum cum adiſſet Carneades, quid de eo ille ſentiret, ita refertur a Cicerone (1): *Carneadem Clitomachus ſcribit dicere ſolitum, nuſquam ſe fortunatiorem, quam Praeneſte, vidiſſe Fortunam*. Et magis aperte Iuvenalis (2):

Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia; ſed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, caeloque locamus.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Alia plura nota lippis, & tonſoribus proſequitur Venutius noſter, quae nos conſulto ommittimus. Benemerentiorem ſed tamen ipſe ſe legenti praebuiſſet, ſi eorum vice huiuſce Signi expoſuiſſet ornatum. Quare id nos breviter praeſtabimus. Stat Dea duplici cornu copiae utraque manu inſignita, quod ſane Fortunae convenit, unde Prudentius Lib. I. contra Symmachum innuit

Formatum Fortunae habitum cum divite cornu.

Dion Chriſoſtom. Orat. VI. ait cornucopiae ideo Fortunae tribui, ut per ipſum deſignatam haberemus τὴν τῶν ἀγαθῶν δόσιντε, καὶ εὐδαιμονίαν, *bonorum donationem, & felicitatem*. Verum illud cornucopiae, quod dextera manu gerit, recenter appoſitum eſt, cuius loco (ne duplex ſymbolum inaniter repetitum habeamus) fortaſſe navis gubernaculum antea exſtare poterat, ut in ceteris Fortunae Signis advertitur, quo eamdem navigationi praeeſſe, vel rerum humanarum regimen gerere, innoteſceret. Lactantius Lib. Divin. Inſtit. III., qui eſt de falſa ſapientia, Fortunae Simulacrum cum copia, & gubernaculo effictum fuiſſe, teſtatur; qualis eſt illa in quibuſdam nummis ab Auguſtinio, & Oudaanio recenſitis. Cernitur in capite Modius, qui Abundantiae ſymbolum praedicatur, quique velo ſuperinducto obtegitur, quod dein ad talos fere protenditur, & cuius limbus ſub ſiniſtro brachio recolligitur. Modius enim fertilitatis inſigne eſt, ut patet ex nummo ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ deprompto ex Muſeo Wildeo, etſi Ioh. Vaillantius in nummis Coloniarum, ac Municipiorum ſub imagine Fortunae Genium loci contra ceteros nummorum expoſitores recognoverit. Ceterum Polum etiam in capite effictum quis dicere poſſet, quandoquidem Bupalus, ut narrat Pauſanias Lib. IV., Fortunae Signo, quod pro Smyrnaeis efformavit, Polum capiti impoſuit cum Amalthaeae cornu in ſiniſtra manu. Longa demum veſte ad pedes uſque amicitur, quae cingulo alligatur infra ubera, quae ſane magnitudine ſatis inſignia exhibentur, ut per ea Fortunam, quae Mammoſa dicitur, praeſeferri non inepte quis dixerit.

TAB. LXIV.

FORTUNA.

VENUTIUS

CORnu Copiae hic quoque Fortuna ſuſtinet, ac praeterea gubernaculi capulum. Pauſanias in Meſſenicis (3) Homerum Poetarum primum mentionem Fortunae feciſſe in Hymno Cereris, in quo Τύχην ipſam, & reliquas Oceani Filias cum Proſerpina

(1) *Cic. Lib. II. de Divinat.* (2) *Satyr. X. v. 366.* (3) *Lib. IV.*

pina ludentes inducit. Oceano igitur prognatam Fortunam veteres crediderunt, quinetiam unam ex Parcis, unde Pausanias in Achaicis (1) inquit: Εγὼ μὲν οὖν Πινδάρου τά τε ἄλλα πείθομαι τῇ ᾠδῇ, καὶ μοιρῶν τε εἶναι μίαν τὴν Τύχην, καὶ ὑπὲρ τὰς ἀδελφὰς τε ἰσχύειν. *Facile autem mihi Pindarus in suis canticis cum alia multa persuadet, tum vero unam esse Parcarum Fortunam, & quidem potestate Sororibus antecellere.* Haec vero ea fuit, quam Lachesim, hoc est Sortem Graeci dixere. Nostra Statua sedens vestem supra genua collectam, & sinuosam habet, quasi bona, & mala, quae impertitur hominibus, gremio contineret. Duas Fortunas excogitarunt veteres, bonam, & malam; huic adversa omnia, illi prospera quaeque adscripserunt: Bona candido vultu, mala atro pingebatur. Pindarus, & Plutarchus eamdem duo gubernacula moderantem commenti sunt. Pausanias in Messenicis (2) scribit, Bupalum omnium primum Fortunae Statuam Smyrnae finxisse globum capite sustinentis, manuque Amaltheae cornu, quod frequenter observatur in gemmis (3). Hac figura innuebatur Fortunae id esse munus, largiri, & adimere divitias, quas copiae cornu repraesentat, ac penes eam esse administrationem rerum humanarum, quas suo arbitrio dispensaret (4).

TAB. LXV.

ABUNDANTIA.

AMADUZIUS

Enutius noster Signum hoc Florae, vel Cereris nomine designaverat. Verum dum facilius duplici proposito nomine rem pertingere credit, neutrum assequitur. Nos tamen ad Abundantiam revocamus, quam potissimum ex eo recognoscimus, quod cornucopiae laeva manu sustentet, dextera vero gerat papavera. Fortunae quinetiam concinne succedit Abundantia, quae ex Statii Scholiaste (5) fuit *Fortunae Ministra*; ut proinde & Symbola communia utrique fuerint. Ac si Porphyrionem audiamus ad illud Horatii in carmine saeculari (6), ubi dicitur:

Apparetque beata pleno
Copia cornu,

quasi corporalem Deam heic accipiendam esse *Copiam* intelligemus; *utique rerum omnium Abundantiam*, cui proinde cornu copiae mire conveniat. Abundantiae typis nihil frequentius in nummis; cernitur enim

(1) *Lib. VII.*
(2) *Lib. IV.*
(3) *Causaei Mus. Roman. To. I. Sect. II. Tab. XXVII., & seqq.*
(4) *Vid. Lactant. Instit. Lib. III.*
(5) *Thebaid. Lib. IV. vers.* 106.
(6) *Carmen Saeculare pro Imperii Rom. incolumitate v.* 59.

enim haec Dea praeſertim in nummis Nervae Traiani [1], tum & Traiani Decii, Gallieni, Carini, Tetrici, aliorumque Impp., ut apud Vaillantium [2], & Montfauconium [3] videre eſt. Nec etiam Signa huius Deae deſiderantur, quae apud Cauſaeium [4], tum apud Montfauconium ipſum [5] ex eodem, quaeque etiam in nupera Neapolitana editione Banierianae Mythologiae [6] conſuli poterunt. Paullus Alexander Maffeius [7] Signum Abundantiae pariter habet, quod in Aedibus Altempſianis collocat. Inſuper in Lugdunenſi Sancti Stephani ſacra Aede imaginem Opis, vel Abundantiae ſub barbaro apud vulgum nomine *Ferrabo* ad Saeculum uſque XVI. perſtitiſſe fertur, ut ex Cl. Martino Gerbertio [8] didicimus. Tandem Abundantiae effigiem pictam cernere eſt in Picturis Herculanenſibus [9], ſi Academicorum illorum coniecturis ſane veroſimilibus, ac eruditis fides adhibenda eſt. Sane in horum monumentorum pleriſque Symbola, quae diximus, quaeque huic noſtro Signo adeſſe videmus, utplurimum occurrunt, cornu copiae nimirum, ac papavera, quibus interdum ſpicae accedunt. Nec Signis dumtaxat, nummis, ac picturis Abundantia exprimebatur, verum etiam digna habita eſt, quae Templis donaretur. Huius rei argumentum habes apud Virum Cl. Scipionem Maffeium [10], qui vulgavit longam quamdam Inſcriptionem Graece loquentem, quam in Iſthmo Corinthiaco obſervavit Sponius, & in cuius linea XIX. habemus ΤΟΥΣ. ΝΑΟΥΣ. ΤΗΣ. ΕΥΕΤΗΡΙΑΣ. ΚΑΙ. ΤΗΣ. ΚΟΡΗΣ, nempe *Templa Abundantiae, & Proſerpinae*, quae, ut ex eadem Inſcriptione eruitur, inſtauravit P. Licinius Priſcus Iuventianus Athletarum Ludorum Iſthmicorum Pontifex perpetuus. Verum ad Signum noſtrum revertamur. Quare indutam in eo nunc videas hanc Deam eleganti ſtola ad plantas fluente, ac multis rugis, ac plicis conſtrictam, quam dein coopertam habes decoro ſane amiculo, aut palla iiſdem plicis, quin & limbis praeclare diſtincta. Venutius praeterea exiſtimaverat, ſub huius Signi vultu latere Auguſtae imaginem, ac forte Iuliae Severi Coniugis, quam tamen nos aegre deprehendimus, dum e nummis ad hanc oculos convertimus.

(1) *Regum, & Imperat. Romanor. Numiſmata &c. cura Caroli Ducis Croyiaci, & Arſchotani &c. a Biaeo inciſa, & illuſtrata ab Alberto Lubenio, & Laur. Begero. Colon. Brandeburg.* 1700. *Tab. XXXIV.*

(2) *In Nummis Impp.*

(3) *Antiq. Expl. To. I. Part. I. Tab. CXCIX. n.* 5. *uſque ad* 9.

(4) *Muſeum Roman. To. I. Sect. II. Tab. XXX. pag.* 74.

(5) *Ibid. Tab. ead. num.* 4.

(6) *La Mitologia dell'Ab. Banièr tradotta in Italiano da D. Maria Maddalena Ginori ne' Pancrazi. To. III. In Napoli* 1757. *Lib. III. Cap. VII. Tav.* 47. *pag.* 251.

(7) *Raccolta di Statue ant., e moder. Tav. CXXII. col.* 115.

(8) *Iter Alemannic. pag.* 30.

(9) *Tom. IV. Tav. XVIII. pag.* 89.

(10) *Muſeum Veronen. pag. XXXIX.*

CLASSIS VI.

QUAE CONTINET

DEORUM SACERDOTES

ET

MINISTROS.

TAB. LXVI.

CAMILLUS PUER.

VENUTIUS



Onnulli putarunt Ganymedem hoc Signo marmoreo exprimi; at nobis magis lubet Camillum in Sacrificiis Miniſtrum in eo agnoſcere. Ovidius eum videtur innuere in illo verſu (1):

Stat Puer, & manibus lata caniſtra tenet.

Hunc Puerum communi conſenſu Litterati ſuſpicantur, quem Graeci παῖδα ἀμφιθαλῆ vocant, Latini *Camillum*, ideſt Puerum paratum ad imperia, quae mandarentur, obeunda. Ceterum Camilli nomen autumant ex Etruria in Latium advectum: At ego potius crederem deductum ex illo ligneo vaſe in Sacrificiis uſitato, quod forſan Puer hic marmoreus in manu gerit, quodque *Camella* ſcilicet dicebatur. Hinc Ovidius (2):

Dum licet, appoſita, veluti cratere, Camella,
Lac niveum potes, purpureamque ſapam.

Marraccinus Marſus legit *Canella*; Tu legito, ut eſt in vulgatis. Camella vas erat ligneum, in quo lactis potio infundebatur, frequenter in ſacris adhibitum; unde nil mirum, ſi Puer, qui craterem ferebat, Camelli, vel Camilli nomen adquiſiverit. De hoc vaſe audiendus eſt Petronius (3): *Eunothea menſam veterem poſuit in medio altari, quam vivis implevit carbonibus, & Camellam vetuſtate ruptam pice temperata refecit*; Et ſtatim: *Tum clavum, qui detrahentem ſecutus cum Camella lignea fuerat, fumoſo parieti reddidit*. Hoc vaſis genus Polluci (4) eſt σκαμίλλα, quod proprius accedit ad Camillum.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Non heic diſſimulabo, nonullos Puerum hunc cenſuiſſe longe ab aris, ac templis eſſe ablegandum, quod chlamyde indutus habeatur, non autem ſuccinta veſte amictus adſpi-

(1) *Faſtor. Lib. II. v.* 649.
(2) *Ibid. Lib. IV. v.* 778.
(3) *In Satyrico.*
(4) *Onomaſtic. hac voc.*

ſpiciatur, ut Camillus alter occurit in aenea Statua apud Cauſaeium in Muſ. Roman. To.II. Tab. XLVI., tum etiam in altero Signo apud Equitem Maffeium in Stuarum Collectione Tab. XXIV. col. 24., & apud Montfauconium in To.II. Supplementi ad Antiq.Explicat.Lib.I. Cap. V. n. III. p. 15. Tab., quae primae ſuccedit, ac tandem in Signo, quod item Camilli praedicatur, quodque exſtat in Muſ. Capitolino etſi tamen Camillus hic etiam nonnullis incertus ſit, ut & mulier apparuerit; quemadmodum inſuper ſuccinta veſte, quae tamen a veterum more parum recedit, amictus proſtat Camillus Puer (& quidem hic etiam incertus) apud Cl. Franc. Ant. Gorium in Muſeo Florentino To. III. Tab. C. pag. 110., quem etiam a Sebaſtiano Blanchio, ubi de Statuis in Tablino Mediceo adſervatis pag. 93., deſcriptum videas; nec niſi ſuccinctus tandem occurrit in To. IV. Picturarum Herculanenſium Tab. XIII. pag. 65. Siquidem etiam egregia Traiani Columna, antiqua numiſmata, ac plura anaglypha exhibent Camillum, qui Pontifici, vel Flamini Diali ſacra facienti miniſtrat, amictum brevi veſte, ac more miniſtrantium ſuccincta, cui etiam caput nudum eſt, nulloque ornamento revinctum, ut etiam a Raphaele Fabrettio in Syntagmate de Columna Traiani Cap. VI. pag. 159. naviter obſervatum eſt. In Muſeo Kircheriano quin etiam adſervatur marmoris fragmentum, in quo Camillus brevi tunica, & quidem ſuccincta indutus eſt, cuius caput, brachia, genua, ac pedes etiam nudati ſunt; ſicuti e collo utrinque ante pectus pendet infula maior, quae Sacerdotum noſtrorum Stolam aemulatur, & dextera ſimpuvium, laeva pateram gerit, ut ad ſacra proficiſci, comitante Thurario miniſtro, videatur. Ceterum ſi numiſmata alia conſulantur, non ſemper Camillus Puer ſuccinctus occurrit, quin praetexta indutus etiam habeatur, quam tributam ſane Sacerdotibus, ceteriſque ſacrificiorum Adminiſtris vetera monumenta teſtantur. Scilicet Iacobus Gutherius agens de veteri Iure Pontificio Lib. II. Cap. 13. nummum profert, in quo adſtat L. LENTVLVS FLAMEN MARTIALIS, ut eius epigraphe docemur: capite praetexta obtecto; quemadmodum etiam in Signo Iulii Caeſaris, quin & in altero Neronis, tamquam Pontificum Maximorum, inferius adducendis manifeſte advertitur. Iuxta Flaminem vero in laudato nummo adſtat Camillus Puer, ipſius Flaminis inſtar, eadem ornatus praetexta, lituum inſuper dextera gerens, baculum, ſeu virgam ſiniſtra. Quare ſi veſtis ſuccincta non ita Camilli propria eſt, quin alia quandoque ornatus occurrat, forte nec chlamys, qua in hoc Signo noſtro donatur, dedecere Camillum poterit; Quamquam ſi hoc veſtis genere eumdem excludi quis cenſeat, Chlamydatum, ac ignotum Puerum etiam inſcribi per nos liceat.

TAB. LXVII.

BACCHANS.

VENUTIUS

PRodit una e Bacchantibus pampinis, & uvae racemis coronata, talarique tunica, cui pellis hircina ſuperiniecta eſt, eleganter induta. Siniſtra ſuperiorem veſtem, tamquam palliolum leviter retrahit ab altero latere, ut vas uvis plenum, quod dextera ſuſtinet, melius appareat. Videtur mihi hoc facto illud repraeſentari, quod ab Anacreonte (1) deſcribitur:

Πο-

(1) *Od. L. εἰς Διόνυσον.*

Πότον ἄςοιον κομίζων
Γόνον ἀμπέλου τὸν οἶνον
Πεπεδημένον γ᾽ ὀπώραις
Επὶ κλημάτων φυλάσσων.
Poculum curas abigens portans
Progeniem vitis vinum ,
Involutum uvis
In palmitibus reſervans.

Bacchanalia ex Aegypto in Graeciam Melampus invexit (1) . Antiquiſſimum fuit Graecorum Feſtum , & ſimul Athenienſibus ſolemne , ut ab illo ante Olympiades tempus computarent (2) . Ea tertio quoque anno celebrabantur ; Aliaque fuerunt ruſtica , alia urbana. Ruſtica in agris agebantur menſe Πυανεψιῶν Octobri , vel , ut alii putant , Ἀνθεςηςιῶν Novembri , ut qui ex peregrinis , aut rus colentibus propter aſperitatem hiemis Athenas ad urbana Bacchanalia pervenire non poterant , impia celebritate nequaquam carerent. Urbana menſe Ελαφηβολιῶν Februario fiebant. In hac pompa praeibant Bacchantes (3) , pampinea Corona ornatae , feriniſque pellibus cinctae ; ſequebantur alii Silenorum , alii Satyrorum , alii Panum habitu , partim Aſinis inſidentes , partim hircos ad ſacrificium ducentes. Fercula ſubſequebantur , ac primum vas aquae ; Deinde Virgines Κανέφοραι , qualos capite ferentes primitiarum plenos. Poſtea Φαλλοφόροι erant , turpe hominum genus ; Iterum Ἰθυφάλλοι , muliebri veſte induti. At cur cetera non taceam , quorum Chriſtianum Virum obliviſci decet , non meminiſſe ? Inverecundam celebritatem diligenter deſcripſit Lilius Gyraldus , Natalis Comes , & Matthaeus Aegyptius (4) . Eam diſponebat Archon cum Curatoribus : Ὁ δ᾽ Ἄρχων διατίθησι μὲν Διονύσια , καὶ Θαργήλια μετὰ τῶν Ἐπιμελίτων. *Archon diſponit Bacchanalia , & Thargelia cum Curatoribus* (5) .

(1) *Herodot. in Euterp.*
(2) *Diodor. Lib. I.*
(3) *Plutarch. de Iſid. , & Oſirid.*
(4) *Syntagm. Deor. &c.*
(5) *Pollux Onomaſt. Lib. VIII. Vid. Demoſt. Orat. 1 in Phil.*

TAB.

TAB. LXVIII.
BACCHANS.

VENUTIUS

EN altera e Bacchantium choro floribus redimita, quae praeter talarem tunicam lupinam quoque pellem, ſeu, ſi velis, hircinam ante pectus praecinctam habet, veſtis inſtar brevioris. Manüs, quae deſideratur, Thyrſum fortaſſe; altera uvae racemum complectitur. A mulieribus ut plurimum curabantur Bacchi ſacra, praeſertim apud Graecos; nam antiquiſſima illa Dionyſia ἀρχαιότια, & μείζωνα dicta penes Athenienſes quatuordecim feminae procurarunt. Creabantur autem a Rege ſacrorum, nimirum a Cive aliquo optimo, Populi ſuffragiis hiſce peragendis ſacris praefecto, cuius uxor, utpote Regina, praeerat ceteris γεραιαῖς Matronis, debebatque Civis Athenienſis eſſe, non peregrina, ſpectatae pudicitiae, & quae virgo nupſiſſet (1). Haec ſacra non tantum ſolis committebantur mulieribus, ſed ἄρρητα erat, *arcana* nempe, nec maribus adeunda, nec evulganda. Ad graphice deſcribendam noſtram Bacchantem optime convenire videtur hoc loco quoddam Anacreontis, ut creditur, Tetraſtichon, alicui profecto ſubſcriptum olim Anaglyphtico operi Bacchas exhibenti tres, cultu non multum a noſtra diſſimiles, ut ex ipſo Epigrammate facile conſtat. Hem illud (2):

Ἡ τὸν θύρσον ἔχουσ᾽ Ἑλικώνιας, ἡ δὲ παρ᾽ αὐτὴν
Ξανθίππη, Γλαύκη δ᾽ ἡ σχεδὸν ἐρχομένη
Ἐξ ὄρεως χωρεῦσι, Διονύσῳ δὲ φέρουσι
Κισσὸν, καὶ σαφυλὴν, πίονα, καὶ χίμαρον.

Quae Thyrſum gerit, eſt Heliconias, altera vero poſt eam
Xanthippe, Glauce autem, quae prope venit.
E monte ſimul redeunt, Baccho autem ferunt
Hederam, & uvam, vinum, & anniculum caprum.

TAB. LXIX.
BACCHANS.

AMADUTIUS

SIgnum hoc Venutius noſter duplici, eoque diverſo titulo inſigniverat, ut ipſum pendere animi, innoteſceret, an illud pro Flora, vel pro Pomona exponeret. Verum nos nil, quae utramque oſtentet, in hoc Signo deprehendimus; Quin potius multa cernimus, qui-

(1) *Auctor argument. Orat. Demoſth. in Ver.*

(2) *Ex Anthol. Graec. Lib. IV. Anacreont. Epigr. IV.*

quibus id ipſum Bacchantium Choro accenſeamus. Caput floribus, & foliis nonnullis redimitum cernitur, quod Bacchantibus praeter pampinos, & racemos, quin & hederam in uſu fuiſſe, conſtat ex ſuperiori Signo floribus circa caput ornato, quod Venutius illuſtravit. Dextera manu coronam gerit, quae tamen recens addita eſt ſolita mangonum licentia; Et quam heic expreſſit caelator, diverſa eſt ab ea, quam in prototypo cernimus. Fortaſſe in votis fuerat Artifici coronam vitigineam, ad pampinorum vitis ſimilitudinem contextam effingere, qua Bacchus ornabatur. Horatius id innuit (1), dum ait:


Dulce periculum eſt,
O Lenaee, ſequi Deum,
Cingentem viridi tempora pampino.

Siniſtra autem manu tibiam geſtat, quae *ſacrifica* a Plinio (2) dicitur, cum in ſacris, quae Diis ſolvebantur, introducta eſſet, quam conſtat etiam in Dionyſiacis adhibitam fuiſſe. Non defuere olim mulieres, quae tibias inflarent, quae proinde *Tibicinae* audiebant. Quare quid vetat, Bacchantes tibiis uſas fuiſſe? Quin etiam Alexander ab Alexandro (3) teſtatur, Bacchantes ad ſonum tibiae (quam ipſae fortaſſe inflabant) cum laſciva geſticulatione compoſitis modis pſallere conſueviſſe. Tandem Baccha haec noſtra tunicae ſuperimpoſitam habet pallam, duplici cingulo uno aliud ſuccedente ſubſtrictam, ne ita decurtata ad talos pertingat, & interiorem veſtem occultet.

TAB. LXX.

BACCHANS.

AMADUTIUS



QUolibet pignore contendere paratus eſſem, neminem fore, cui vel in ſomniis Signum hoc de Minerva exponi poſſe videatur. Nihilominus Venutius noſter in hac fuit ſententia, ut id ipſum huic Deae tribuere non dubitaverit. Putat primo in huius Signi capite, quod tamen recens additum eſt, cerni galeam, quae quantum a galearum forma abludat, quiſque, cui ſolum adire lubeat genuinum alterum Minervae Signum vere galeatum, quod Claſſe prima (4) recenſuimus, deprehendere facile poterit. Quare nos potius capiti impoſi-

(1) *Od. III. 25. 18.*
(2) *Lib. XIII. 17.*
(3) *Genial. Dier. Lib. VI. cap. 19.*
(4) *Claſſ. I. De Diis Caeleſtib. Tab. XX. pag. 15.*

positam mitram, quae erat mulierum capitis tegumentum, arbitramur. Dein existimat in sinistra manu hastam antiquitus exstitisse. Verum qua fide, & quo sponsore id nobis mercatur? Quidni, si Thyrsum potius gestasse, Bacchantium more, quis dixerit? His accedit, quod huius Signi ornatus nil commune, habet cum Minerva. Quis enim umquam hanc Deam crine fluxo, etsi recenti Artificis manu addito, Bacchantium instar, advertit? Ast vestis quoque a Minervae gravitate abhorret. Videas enim hanc parum excedentem cruris medium, & delicatiori quadam concinnitate fluentem, quam strophium circa lumbos circumdit, & in qua deinde breves manicae, & supra cubitum desinentes conspiciuntur. Haec omnia ita liberius quoddam, & mollius vestiendi genus praeseferunt, ut severam, & compositam illam in rebus omnibus Minervae consuetudinem non parum dedecere videantur, quin potius ad Bacchantium morem propius accedere potiori ratione quis affirmaret. Tandem in hoc Signo pedes soleatos, sive calceatos habemus, atque hos ipsos calceos ad tibiam usque pertingere, perspicue cernimus, ut iam olim consuevisse nemo est, qui ignoret (1).

TAB. LXXI.

SACERDOS CERERIS SACRIFICANS.

Venutius

Elegantissimum hoc Signum Mulierem velatam exprimit sella insidentem, quae dextera pateram tenet, ad pedes autem duas arculas habet, quarum prope unam bos cernitur, prope alteram sus. Enimvero sus tribuitur Cereri, tamquam propria eius victima, quod Deae gratum esset spectaculum, si inimicus mactaretur, qui non solum segetes vastat, sed & terram rictu effodiens semina devorat. Idcirco Ovidius ait (2):

Prima Ceres avidae gavisa est sanguine porcae.

Cereris Sacra muliebria quidem Romae fuerunt; nec tamen unica, quae a feminis peragerentur. Graecae originis superstitio haec fuit, sed a Romulo ipso recepta, & per feminas Sacerdotes (3) abstemias celebrari solita. Non vulgaris est vetus Inscriptio paucis ab hinc annis in Antiati reperta, nunc in Museo Veronensi (4), in qua habetur

CLA-

(1) *Vid. Balduin. de Calceis.*
(2) *Ovid. Fastor. Lib. I. v.* 349.
(3) *Fabrett. Apolog. ad Grunov. pag.* 6.
(4) *Maffeii Mus. Veron. pag.* 82. *n.* 2.

CLAVDIA . ATTICA
ATTICI . AVG. LIB. A . RATIONIBVS
IN . SACRARIO . CERERIS . ANTIATINAE
DEOS . SVA . IMPENSA . POSVIT
SACERDOTE . IVLIA . PROCVLA
IMP. CAESAR . DOMITIANO
AVG. GERMAN. XI. COS

Insuper Cereris publicam Populi Romani Sacerdotem exhibet Inscriptio altera apud Gruterium (1):

CASPONIA . P . F
MAXIMA
SACERDOS . CERERIS
PVBLICA
POPVLI . ROMANI
SICVLA

Quid, si haec in nostro expressa sit Marmore?

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Quidam nobis auctores fuerunt, ut in hoc Signo Tellurem potius expressam proderemus, quod scilicet a dextero latere tympanum eidem adsit, modium autem a sinistro. Verum quis non novit, haec etiam communia Cybeli, quin & Cybelem, & Tellurem promiscue accipi, tum quae utrique conveniunt, facile etiam aptari Cereri, utpote quae ab ipsis etiam parum differat? Ceterum velum, quod capite gerit, & patera, quam dextera manu sustinet, Sacrificantem indigitat. Nec defuit, qui Suovetaurile, sive Solitaurile sacrificium in hoc Symplegmate repraesentari existimaret; Sed cum huiusmodi sacrificium ex sue, tauro, & ove constiterit, ovis autem heic desideretur, tum & Sacerdos mulier sit, ut praeteream Suovetaurilia a Servio Tullo instituta ad Martem pertinere, & a Censoribus, cum Lustrum conderent, celebrari solita in Campo Martio coram omni Romana militia, facile proinde opinionem hanc etiam explodi, nemo non videt. Vide, si lubet, Suovetaurilia expressa in anaglypho elegantissimo apud Sponium *Miscellan. Erudit. Antiquit.* Sect. IX. num. XVIII. pag. 310., ex quo argumenti accessio ad nostram sententiam, te etiam iudice, fiet. Tandem monemus, Gruterianam Inscriptionem *Casponiae Maximae* suspectam esse Cl. Maffeio in *Arte Critica Lapidaria* Lib. III. Cap. IV. col. 318., qui magnis ob singularitatem indigere ait patronis, & adsertoribus, ut recipiatur. Ceterum apud Fabrettium *Inscript. Domest.* Cap. IV. n. 524. pag. 342. exstat Inscriptio posita FLAVIAE . AMMIAE . SACERDOTI . CERERIS.

(1) *Pag.* 308. *num.* 4.

CLASSIS VII.

QUAE CONTINET

CONSULES.

TAB. LXXII.

L. IUNIUS BRUTUS.

VENUTIUS

NOnnulli autumant, elegantissimum hoc Signum Poetum Arriae Virum repraesentare, sed rerum antiquarum periti L. Iunium Brutum esse putant, capite nudo, calvoque, ac tristi facie. Toga nullo concinno ordine disposita; manus, & digiti inter se conserti, instar hominis, cui aliquid triste acciderit; calcei vero simplices antiquo more. Hic L. Brutus ex antiquissima Iunia gente regio dominatu populum Romanum liberavit; ac clarissimus, & postremus suae gentis fuit, si Dionysio (1) credimus, qui nullos reliquisse filios superstites tradit; Licet tamen Cicero (2) M. Brutum Caesaris interfectorem Bruti huius gentilem appellet. Hic quidem duos habuit filios, qui Titi Iunii ambo dicti sunt, sed a patre propter coniurationem de reducendis in Regnum Tarquiniis securi percussi sunt. Hoc igitur Signum, quod vultum exhibeat cogitabundum, ac tristem, manus autem, & amictum, ceteraque omnia ad moerorem composita, Bruti esse opinamur propter filiorum necem luctu squallidi. Hic cum bellum pro Patria cum Tarquiniis, & Latinis gereret, in acie ab Arunte Tarquinii filio occisus est (3).

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Henricus Brulaeius in *Museo Odescalchio* To. I. Tab. XXI. pag. 27. adducit L. Iunii Bruti imaginem ex amethysto; Tum altera eius effigies consuli poterit inter Stoschianas Gemmas, quae etiam ex eis numismate expressa est Genevae a Iohanne Dassierio, & eius Filiis numismatum Caelatoribus. Vide horum Numismatum Expositionem num. *6.* pag. 7. Ast nulla vultus similitudo inter eas imagines, & Signum hoc nostrum deprehenditur. Alii tamen, quos heic nunc veterum Monumentorum diiudicandorum coepit cacoethes (sic enim, ut solstitialis herba, vel ut fungi erumpere solent, unica hora apud nos nunc enascitur ineruditus vulgus Antiquariorum) in ea se esse sententia affirmant, ut hoc in Signo Caius Marius Arpinas exprimatur, quod nimirum Signo altero marmoreo Capitolino, quod C. Marii dicitur, respondere videatur,

Verum

(1) *Antiq. Roman. Lib. V.*
(2) *Tusculan. Quaest. Lib. IV.*
(3) *Dionys. Lib. IV., & V., Liv. I., & II., & alii.*

Verum Venutius noster, Caium Marium in Tabula XCVIII. haberi censuit, ut mox videbimus; licet nos Poetam potius ibidem expressum ostenderimus. Ceterum nos, qui neutris credimus, quique huiusmodi Monumentorum incertitudinem probe novimus, quam nulla umquam argumenta adimant, vel imminuant, facile ab omni definitione heic nos temperamus. Quare vel hoc in Signo haberi velint L. Iunium Brutum, vel Caium Marium, cum alter, Regibus exactis, & adserta libertate, Regum insignia, fasces scilicet, & secures ad Consulum imperium primus traduxerit, cumque alter septies Consul summo Populi studio creatus fuerit, semper mihi optime consultum arbitrabor, qui huic Signo in Consulum Classe locum fecerim. Non desunt tamen perplura Monumenta tum vetera, tum etiam recentia apocrypha, quae vel Caium Marium referre, vel ad eius honorem pertinere multi ex Antiquariis censuerunt, quaeque nos nunc, ne ea ignorasse videamur, tum ut eorum incertitudo magis pateat, summatim referre curabimus. Designavimus iam Signum, quod in Museo Capitolino prostat, quodque ad C. Marium spectare aiunt. Eius quidem ectypum habes a Petro Servio Spoletino Medico Romano in Libro, cui titulus: *Iuveniles Feriae, quae continent Antiquitatum Romanarum Miscellanea. Romae* 1611. Cap. I., ubi de Togae virilis sumendae tempore, pag. 8. Sed elegantiorem eiusdem formam dein exhibuit Praesul Cl., ac eruditissimus Iohannes Bottarius in Museo Capitolino To. III. Tab. L. pag. 106. Duo etiam Capita Aedium Barberinarum, tum & Hortorum Ludovisiorum, ac Signum etiam Hortorum Viminalium Perettiorum, nunc Nigroniorum, quae in Museo Capitolino laudantur, Mario tribuuntur; ast qua fide, nescio. Brulaeius quinetiam in *Museo Odescalchio* To. I. Tab. XXV. pag. 31. Caii Marii effigiem adducit ex Camaeo, quod ex Achate est, tum alteram quoque profert Nicolaus Galeottius Loyolita ibidem ex Protome, quae ex Achate pariter est, Tab. XLVII. pag. 54. Barberiniam vero Protomen exhibet Causeius in *Museo Romano* To. I. Sect. II. Tab. LV. pag. 105. Vide etiam Caii Marii caput in Plutarchi operum editione a Dacierio exornata, & inter Numismata a Ioh. Dasserio, & eius Filiis Genevae incisa n. 40. pag. 30. Ioh. Faber vero in eius Commentario in Imagines Virorum illustrium Fulvii Ursinii num. 88., licet ad imponenda nomina facile adducatur, de Capitolino Signo tamen multum addubitat ob scrinium, quod ad illius Signi pedes est, quodque Senatorum, ac Philosophorum, non autem Consulum, inter quos fuit Caius Marius, proprium censeat, quod tamen nemo eidem concedet, cum etiam Consulibus scrinia convenirent, ut ad Tabulam sequentem ostendemus. Ioh. Fridericus Schoepperlinius in suis *Nummis antiquis rarioribus, & attritis e Tabulis Cronagelianis &c. Onoldini ann.* CIↃIↃCCLVII. num. XXXIV. recenset C. Marii numisma cum hac epigraphe: C. MARIVS. VII. COS., in cuius aversa parte legitur: VICTORIA. CIMBRICA. Ast ectypus non datur, licet huiusmodi nummi haud infrequentes in Museis occurrant, qui tamen apocryphi censendi sunt. De Marii Nummis cum capite Neptuni, & cum epigraphe *C. Marius. C. F.*, ac tandem a tergo cum biga, ubi habenas regit hippocampus, ac delphinus anchoram custodit, vide Antonium Augustinium Dialog. XII. Neque heic praetereunda Trophaea, quae Caii Marii ob devictos Cimbros esse existimavit Famianus Nardinius, aliique plures, quaeque nunc in Capitolii area spectantur. Verum deinde Alexander Donatius Lib. V. cap. 10., Ioh. Petrus Bellorius in *Fragmentis Vestigii veteris Romae* Tab. IX. p. 43. quartae Romanae editionis a nobis adnotationibus, & VI. Tabularum anecdotarum Appendice auctae, Franciscus Ficoronius in Vestigiis antiquae Urbis Cap. X. pag. 42., aliique, quos mitto, in ea fuerunt sententia, ut bina illa Trophaea Traiano Augusto potius essent accensenda, quod nimirum exstarent in Castello Aquae Martiae in Exquiliis ab eodem Traiano restitutae; quemadmodum etiam contendere non dubitarunt, eadem referre Ger-

Germanorum, Dacorum, & Sarmatarum arma, de quibus Germanico, & Dacico bello Traianus triumphavit. Trophaea haec etiam in duobus Traiani aeneis nummis secundae formae conspiciuntur, quae tamen ad duas ab ipso relatas victorias, Dacicam unam, Parthicam alteram referuntur, ut & *Dacicus*, & *Parthicus* in iisdem nummis Traianus ipse salutetur, ut nos ad Bellorium loc. cit. adnot. (68.) etiam advertimus. Nihilominus Ioh. Winckelmannius in Monumentis antiquis anecdotis To. I. Tractat. praeliminar. Cap. IV. pag. XCIV. contra receptam omnium opinionem Domitiano Trophaea haec cum nonnullis aliis tribuenda contendit ope cuiusdam Inscriptionis, quae exstabat in veteri loco, ubi eadem cubabant, & ex qua intelligere est, Trophaea haec Domitiano a Liberto, cuius nomen exesum erat, fuisse posita. Legitur haec Inscriptio apud Gruterium pag. 1022. n. 5., & rursus emendatior p. 1084. n. 5., tum & apud Fabrettium de *Columna Traiani* pag. 108., qui de Trophaeis hisce fuse disserit, sed ut tamen integrum cuique esse velit sentire, ut lubet. Quare Winckelmannius eadem Trophaea condita putat, auctoritate eiusdem Inscriptionis, post Dacicam victoriam de Decebalo Rege relatam, ex qua tot honores in Domitianum manarunt, teste Xiphilino in Domitian. pag. 217. Ast Cl. Marchio Scipio Maffeius in *Arte Critic. Lapid.*, quam alias laudavimus, Lib. III. Cap. IV. col. 386., & seq. hanc Inscriptionem Gruterio a Celso Cittadinio communicatam inter suspectas amandat, dum ait: *Quid ad Trophaea faciat Cittadini titulus, non video, etiamsi ob quaestionem de Marii, aut Domitiani, aut Traiani Trophaeis pluries allatus, & memoratus a Fabretto* de Columna Traiana; *neque enim* de Germanis *inscribitur, sed illo, ut genuinus sit*, Libertus *quidam* Domitianum Aug. Germanicum *honorat*. Tandem ne quid intactum ex Marianis Monumentis relinquamus, memorare etiam iuvabit Ariminensem nostram Inscriptionem, quam, ut ceteros mittam, retulit Gruterius pag. 436. n. 3., & in qua C. Marii gloriosa omnia facinora exponuntur, licet & haec ipsa νοθείας vitio laboret, non solum Maffeio iudice in *Arte Critic. Lapid.* Lib. III. Cap. IV. col. 338., sed etiam, nobis ipsis adstipulantibus in nostra ad Cl. Ianum Plancum *Epistola, qua Inscriptiones nonnullae Ariminenses a falsitatis nota, qua eas Scipio Maffeius inusserat, vindicantur*, p. 37. & seq., quae quidem Epistola cusa est anno CIƆIƆCCLXVII. in To. VII. Miscellaneorum Lucensium. Quare si parum adeo fidendum memoratis his omnibus Caii Marii Monumentis, quid mirum, si & Imaginibus eiusdem nulla etiam fides a cordatioribus habeatur? Quis enim certo novit, eius effigiem perpetuo aliquo monumento olim fuisse commendatam, ut ad nos quoquo modo perlatam comminisci liceat? Quod de Caii Marii effigie solum certum est, traditur dumtaxat a Cicerone, ac Plutarcho, qui vultum austerum eumdem habuisse affirmant.

TAB. LXXIII.

CONSUL.

SEnatoris alicuius, vel Consularis Viri effigiem hanc arbitror. In Statua hac duplex vestis apparet, Tunica nimirum, & Toga. Totidem in usu apud Romanos vestes fuerunt; prima, quae interior, intercula, & subucula dicta est; altera, quae exterior, vel superaria. Tunica angusta fuit olim, & brevior, ac sine manicis, & soluta; Cinctus postea additus est, quod ad lumbos adstringeretur, & mani- VENUTIUS

manicae appositae. Quae ad pedes Statuae apparet in basi, Cistula est: In hac forma oblonga, & rotunda libelli servabantur, in primis volumina, quorum unum cernere est in sinistra manu huius Statuae. Hinc Iuvenalis (1):

Iamque vetus Graecos servabat Cista libellos.

Vocabantur etiam *Capsae*; apud eumdem Iuvenalem (2):

Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos angustae venula Capsae.

Qui vero pueris ingenuis ad ludum euntibus libros portabant, *Capsarii* dicebantur, ut interpretatur Ulpianus (3). Nostra Capsula maiuscula est, & clave obserata, vinculo quodam etiam, seu fascia ad latera pendente, ut commodius manu circumferri posset. Ad Capsas huiusmodi, & claves respexit fortasse Horatius (4), cum librum suum in lucem publicam prodire cupientem his verbis adloquitur:

Odisti claves, & grata sigilla pudico.

Quomodo libelli, seu volumina intus in Capsa fuerint dispositi, patet ex Sponio (5), & Arringhio (6), aliisque.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

At non solum *Cistae*, & *Capsae* loculamenta voluminum, & librorum dicta olim fuerunt, verum etiam *Scrinia*. Hinc Horatius Lib. II. Epist. I. vers. 112:

Et prius orto
Sole, vigil calamum, chartas, & scrinia posco.

Tum & Martialis Lib. I. epig. 67. vers. 5:

Secreta quare carmina, & rudes curas,
Quas novit unus, scrinioque signatas
Custodit ipse virginis pater chartae.

Tandem dicebantur etiam *plutei*, *armaria*, *loculi*, in quibus acta Principum, & Reipublicae asservabantur, ut proinde Scrinium hoc ad pedes nostri Consulis hoc nomine quodammodo eidem convenire videatur. Quare hinc quoque factum est, ut praesertim a Scriniorum nomine Viri huiusmodi, qui Capsis ad pedes instructi sunt in Statuis, Scriniarii dicti fuerint. Praeter Signum illud marmoreum, quod superius apud Sponium designavit Venutius, quodque ad pedes habet Scrinium cum hac Epigraphe: CONSTITVTIONES. CORPORIS. MVNIMENTA, ac praeter alia Scriniorum schemata ibidem allata, habetur quinetiam inferius Sect. IX. n. VIII. pag. 312. Statua altera togata, & laureata, manu libellum aliquem gestans, ad cuius pedes Scrinium est, in quo epistolae, & libelli servabantur; Quae omnia etiam a Montfauconio proferuntur *Antiq. Explic.* To. III. Part. I. Tab. VII. num. 3., & 4. pag. 32. Insuper Paullus Alexander Maffeius in Statuarum Collectione Tab. CXXXI. pag. 122. profert Statuam Scriniarii, quae est in Aedibus Maximorum ad Columnas, quamque etiam ex eodem exhibuit Montfauconius ibid. Tab. VI. n. 3. pag. 30. Scriniarii Signum habes quoque

(1) *Satyr. III. v. 206.*
(2) *Satyr. X. v. 116.*
(3) *In L. Si Collectaneus 11. de Manumissis vindicta.*
(4) *Lib. IV. Ep. XX. v. 3.*
(5) *Miscell. Erud. Antiq. Sect. VI. pag. 216.*
(6) *Rom. Subterr. To. II. pag. 165.*

que apud Cl. Ant. Franc. Gorium in *Museo Florentino* To. III. Tab. LXXXIV. pag. 87., & seqq., cuius expositionem etiam vide apud Iosephum Blanchium in Descriptione veterum Monumentorum Tablini Medicei Part. I. p. 86. Tandem Signum alterum ex Graeco marmore Viri toga egregie complicata induti, & Scrinium ad pedes tenentis detectum est hoc anno CIↃIↃCCLXXI. in summo Montis Albani iugo, ubi Templum Iovi Latiali sacrum fuit, ac ubi Feriae, quae Latinae dicebantur, a Romanis, aliisque Latii populis celebrari consueverunt; quarum Monumenta quaedam ibidem pariter anno CIↃIↃCCLXV., licet in fragmenta redacta, in apricum prodierunt, quae ab Odericio Loyolita in eius *Sylloge veter. Inscript.* n. LXXXIV. pag. 231., sed parum accurate, neque integre etiam edita sunt. Signum hoc, licet capite orbatum, tum Fragmenta ipsa Feriarum Latinarum nuper providentia SSmi D. N. CLEMENTIS XIV. in Vaticanum Museum ab ipso conditum translata sunt. Consulis fuisse hoc Signum, ut & nostrum Matthaeianum, non dubito; cum etiam Consulibus Scrinia convenirent, quidquid sentiat Winckelmannius, & Faber ante ipsum, ut supra vidimus. Albano siquidem Signo insuper favet Domus Consulum, quae erat in Monte Albano, nimirum eo loci, ubi nunc palatiolum exstat, quod & loci vicinitas, situsque ostendit, tum inter alia fasces Consulares vivo lapidi incisi prope ipsum Monasterium Franciscanorum, circa quod cryptae, nymphaea, fontes, & aquaeductus mirabili opere excisi spectantur, ut etiam fidem facit Vir Cl. Lucas Holstenius in Adnotationibus ad *Ital. Antiq.* Cluerii pag. 180. His etiam nimio calamo indulgere, felicitas temporum suadet.



CLASSIS

CLASSIS VIII.

QUAE CONTINET

IMPERATORES ET AUGUSTAS.

TAB. LXXIV.

C. IULIUS CAESAR.

VENUTIUS

IUlius Caesar hic fortasse repraesentatur habitu sacerdotali, & capite praetexta velato. De ea meminit Spartianus in Hadriano [1]: *Natali suo ultimo, cum Antoninum commendaret, praetexta sponte delapsa caput ei operuit*. Caput enim praetexta in Sacrificiis opertum erat. Audiamus Quintilianum [2]: *Ego vobis allego etiam illud sacrum praetextatum, quo Sacerdotes velantur, quo Magistratus*. Romae Pontifex Maximus caeremoniarum, ac religionum omnium erat arbiter; Hinc Sacerdotium illud tenuit Iulius Caesar, qui omnia sibi vindicare cogitaverat [3]. Deinde Augustus, Tiberius, ceterique Imperatores. Nam ut primum quisque ad Imperium evectus erat, amictus ei pontificius offerebatur a Pontificibus, & continuo ei titulus Pont. Max. tribuebatur [4]. Summa erat eorum auctoritas; nam omnes lites sacras iudicabant inter privatos pariter, & Magistratus, ac Sacrorum Ministros: Leges etiam ferebant de Sacris, quae nondum scriptis erant mandata, aut quae usu tantum recepta fuerant, si digna viderentur, quae legibus sancirentur. Inde Vitellius Pont. Max. XV. Kal. Augusti de Caeremoniis publicis edixit [5]. Nonnulli ex Imperatoribus reperti sunt, qui munia Pontificum ipsi obirent: Domitianus enim officio Pontificis Maximi est functus [6]: Eodem & Hadrianus; cum ceteri Imperatores titulo contenti rem negligerent. Sacrificium quoddam proprium, ac peculiare Pontifici Maximo describitur a Prudentio [7]. Alexander Severus quoque accepit praetextam, cum Sacra faceret, sed loco Pontificis Maximi, non Imperatoris [8].

TAB.

(1) *Spart. in Hadrian. c. 1.*
(2) *Declam. 311.*
(3) *Ex Dion. in vit.*
(4) *Mid. Mazzol. in diss. ad Num. Mus. Pisan.*
(5) *Tacit. Lib. XVIII., & Sveton. Lib. VII. c. 1.*
(6) *Plin. Ep. II. Lib. IV., Bellor. num. XII. Caesar., Spart. in Vit.*
(7) *In Hymn. Roman. Martyr.*
(8) *Spartian. in Vit.*

Tab. LXXV.

C. IULIUS CAESAR.

AMADUTIUS

Signum hoc inter Heroes ignotos numeraverat Venutius noſter, & dubie, timideque ſimul in eo Hadrianum repraeſentari ſuſpicatus fuerat. Verum temere nimis id pronunciavit Venutius, quandoquidem Signum hoc noſtrum Virum exhibet ſine barba, quam tamen *promiſſam* Hadriano tribuit Spartianus in eius vita; quemadmodum etiam eadem donatus in nummis conſpicitur, praeſertim in iis, in quibus mulieri γονυπέτῃ dexteram porrigere cernitur. Dio etiam obſervavit Hadrianum primum fuiſſe Imperatorum, qui barbam promiſſiorem nutriverit, cuius cauſſam hanc tradit Spartianus, *ut vulnera, quae in facie naturalia erant, tegeret*. Barbam etiam eidem promiſſam obiicit Iulianus in Caeſs. vocans ipſum βαθεῖαν ἔχοντα ὑπήνην ἄνδρα σοβαρόν. *Longam habentem barbam virum mobilem*. Quare etiam factum eſt, ut Theodorus Haſaeius (1) arbitratus ſit, ſecundum partes multas, quas Spartianus Hadriano tribuit, & praeſertim quoad barbam, ſimilem eumdem fuiſſe Chriſto Servatori noſtro, cum Damaſcenus in Epiſtola ad Theophilum Imp. (2) Chriſtum vocet γενειάδα μέλανα ἔχοντα, *nigram barbam gerentem*. Haec eo ſpectant, ut pateſcat, nequaquam in hoc Signo repraeſentari poſſe Hadrianum, ut ſuſpicatus fuerat Venutius noſter, ob barbae defectum, qui in hoc Signo cernitur, & a quo abhorruiſſe Hadrianum, iam vidimus. Hinc nos potius Signum hoc I. Caeſaris faciem praeſeferre, opinati ſumus, ut quiſque numiſmata conferens effigiem eius gerentia, & Signum hoc noſtrum facile cognoſcere poterit. Nudus Heroum more Caeſar hic exhibetur; dexteram manum protendit, ſiniſtra globum gerit, ut orbis imperium, quod obtinuerat, oſtendat, quemadmodum etiam in aliis Imperatorum Signis cernere eſt.

(1) *Diſſertationum, & Obſervationum Philologicarum Sylloge. Bremae* 1731. *Diſputat. de Stat. Haemorrhouſae Par. III.* §. 20. *pag.* 415.

(2) *Vid. Combefiſ. Manipulum RR. Conſtantinopol. pag.* 110. *& ſeqq.*

TAB.

TAB. LXXVI.

OCTAVIANUS AUGUSTUS.

AMADUTIUS

Enutius noster hoc in Signo repraesentari Claudium Imperatorem opinatus fuerat. Nos tamem ipsum a vero longe aberrasse contendimus, ac proinde numismatum fide innixi Signum hoc Augusto restituimus. Quare nunc nos advertimus, Augustum exhiberi in hoc Signo sedentem, Iovis, & Deorum more seminudum, globum tenentem dextera, hastam, vel sceptrum sinistra, ad innuendam scilicet Imperatoris divinae similem vigilantiam in Orbis terrarum cura, quem nimirum altera manu, tamquam globum, complectitur. Hinc evincitur, Signum hoc Augusto positum fuisse, postquam apotheosis honores consequutus est, quibus insignendorum Imperatorum etiam viventium, mos, & consuetudo ab ipso Augusto invecta est. Hinc etiam factum postea est, ut licet vultu proprio, habitu tamen divino exsculperentur, & colerentur Deorum more aedibus erectis, Sacerdotibus, & pulvinaribus attributis. Videas etiam in hoc Signo multa eorum, quae de Augusto adnotat Svetonius (1), scilicet *formam eximiam, & per omnes aetatis gradus venustissimam*, tum *vultum tranquillum, serenumque, oculos claros, ac nitidos, capillum leniter inflexum, supercilia coniuncta, mediocres aures, nasum & a summo eminentiorem, & ab imo deductiorem*, ac tandem *staturam brevem, quae* tamen *commoditate, & aequalitate membrorum occuleretur*. Ceterum supercilia in hoc Signo, ut in aliis omnibus, disiuncta conspiciuntur, quod forte Sculptores eo consilio fecerunt, ne quid a virili dignitate, & accurata vultus conformatione absonum inducerent; quamquam & Theocritus (2), & Coluthus in Helena, ac Dares in Briseide coniuncta supercilia commendaverint. Ast Aristaenetus (3) Amicae suae Laidi disparata supercilia attribuit. Vid. Cl. Winckelmannium in Tractatu Praeliminari ad Monumenta antiqua anecdota (4), qui etiam censuit (5) ex veteribus Augusti Signis nonnisi duo tantum nobis superfuisse, quae genuina haberi possint, quorum unum adservatur in Museo Capitolino (6), in quo navis rostrum

(1) *In eius Vit. cap.* 79.
(2) *Idyl. VIII. v.* 72.
(3) *Epist. I.*
(4) *Tom. I. Cap. IV. pag. LV.*
(5) *Ibid. Cap. IV. pag. CX.*
(6) *Raccolta di Statue del Cav. Maffei Tav. XVI, pag.*17., *Mus. Capitol. To.III. Tav.LII.pag.*109.

ſtrum advertitur, quo nempe victoria navalis Actiaca oſtenditur; Tum ipſe iuvenis apparet, & thorace amictus, ut, florente Republica, Viri fortes exhiberi conſueverant. Alterum vero ab ipſo cenſetur, quod olim erat in Aedibus Veroſpianis, non autem Rondininiis, ut idem ait, quodque nunc ad Moſchos clanculum properans provide ab exſilio revocavit, & in Muſeo Vaticano collocari iuſſit CLEMENS XIV. P. M., quem antiqua ipſa Monumenta vindicem, & conſervatorem, niſi ſenſu carerent, nunc habere quodammodo gloriarentur. Id in eo peculiare eſt, ut caput numquam a collo diſiunctum fuerit, quod in antiquis Statuis rariſſimum eſt. Provectior aetate in hoc Signo Auguſtus videtur, ac nudus eſt Heroum more.

Tab. LXXVII.

OCTAVIANUS AUGUSTUS.

Amadutius

Imperator, qui heic pallio indutus cernitur, ac laurea coronatus, quique ſiniſtra volumen, dextera pateram gerit, incerto Imperatoris ſacrificantis titulo inſcriptus fuerat a Venutio noſtro; Ac dein ipſe oris effigiem perpendens ad Claudium Imperatorem referri poſſe, arbitratus eſt. Nos vero ex oris effigie ipſa, quam habemus in nummis, Auguſtum heic exhiberi, opinamur. Sententiae noſtrae calculum addit, quod Signum hoc antiquitus in proſpectu Aedium Horti in Caelimontio, Obeliſci aream verſus collocatum ſit poſt Signum Iulii Caeſaris, quod ſuperius adduximus (1), ut proinde ex hoc ordine, quem heic ſervatum, neque etiam intermiſſum in ceteris Signis, quae ſubſequuntur, advertimus, argumentum non leve ſumamus, etiam eos, qui olim Signorum huiuſmodi concinnae diſpoſitioni praeerant, chronologicam Auguſtorum ſeriem ob oculos habuiſſe, ac propterea, poſtquam Signum hoc noſtrum Auguſtum ipſum praeſeferre agnoverunt, ſtatim ſecundum poſt I. Caeſarem locum ei tribuendum cenſuiſſe. Iam ſupra advertit Venutius (2), Auguſtum quoque Sacerdotium obtinuiſſe, omneſque dein, qui eidem in imperio ſucceſſerunt. Quare non abs re in hoc noſtro Signo Auguſtum intuemur geſtantem in dextera manu pateram, ſacrificantium more, ut ſupra innuimus. Calceati pedes in hoc Signo advertendi ſunt, tum

(1) *Tab. LXXIV.* (2) *Tab. eadem pag.* 74.

tum insuper monendum, Signum hoc ipsum cessisse nunc Museo Clementino-Vaticano.

TAB. LXXVIII.

OCTAVIANUS AUGUSTUS.

AMADUTIUS



Ertium, ac postremum Augusti Signum exponimus, quod Traiano a Venutio nostro falso tributum, eidem, ad quem spectat, laudata Svetonii descriptione, & numismatum fide suadente, restituimus. Nudus stat ipse, dextera elata sceptrum tenens, sinistra gladii, vel pugionis capulum. Singulare fuit, ac proprium Romanorum Imperatorum pugione, & gladio accinctos incedere. Svetonius de Vitellio ait (1): *Tunc Vitellius solutum a latere pugionem Consuli primum, deinde Magistratibus, ac mox Senatoribus singulis porrigens*. Domitianus (2) pugionem pulvino subdere solitus erat. Svetonius saepe memorat gladios, & pugiones, tamquam arma Imperatorum peculiaria, quae numquam ab iis ponerentur. Neronem (3) vero ita armatum fuisse ex eo apparet, quod cum audisset venisse iussu Agrippinae nuncium Agerinum, gladium, dum mandata perfert, abiecit inter pedes. Pugionem (4) *paramerium*, aut *parazonium* vocant Graeci. Martialis de Parazonio loquens ita illud laudat (5):

Militiae decus hoc, & grati nomen honoris,
Arma Tribunitium cingere digna latus.

Dio (6) tali gladio praecingi παραζώνυσθαι appellat. Sceptrum igitur, & gladius, quae Augustus in hoc Signo gestans conspicitur, imperii insignia rapraesentant, etsi gladii quidem capulus solum appareat, qui ornatissimus omni tempore fuit, ut patet ex Claudiano loquente de Arcadio, & Honorio (7):

Gestatosque patri capulis radiantibus enses.

(1) *Sveton. in Vitell. cap. 15.*
(2) *Idem in Domit.*
(3) *Tacit. Histor. Lib. XIV.*
(4) *Bulenger. de Imp. pag. 406., & I. Lips. de Milit. Rom. Lib. III. dial. 3.*
(5) *Lib. XIV. epig. 32.*
(6) *Lib. LXVIII. pag. 778.*
(7) *Lib. II. de Laud. Stilic.*

TAB.

Tab. LXXIX.

L I V I A.

AMADUTIUS

SUB Feminae velatae nomine, quae vel Pudicitiam, vel Pietatem praeseferat, Signum hoc exponit Venutius, quod nos numismatum fidem sequuti Liviae tribuimus, illi nempe, quae Drusilla, & Iulia etiam dicta fuit, Livii, seu Iulii Drusi Calidiani Filia, Augusti quarta Uxor, Tiberio Neroni, cui prius nupta fuerat, adducta. Femina superba, sed mirae sagacitatis, & prudentiae fuit (1). Eadem dicta quoque fuit Augusti Filia, quod, Svetonio (2) teste, Augustus moriens Tiberium, & Liviam *heredes reliquit*, *eosque nomen suum fere iussit*, quod etiam Spanhemius (3) optime demonstravit. Hinc pariter factum est, ut per adoptionis iura in novam familiam inserta Iulia salutata fuerit. Quod simul Augusti Coniux, & Filia dicta sit, confirmatur Velleii (4) testimonio, qui iisdem temporibus floruit, quique asserit Liviam *Augusti Coniugem*, *& transgressi ad Deos Sacerdotem*, *ac Filiam* fuisse. Duo etiam nummi, unus Mediobarbii (5), & alter Gorii (6) afferri possent, in quibus Diva Iulia *Augusti Filia* inscribitur, nisi cum Harduino (7) in ceteris vix amplexando nummos, quin & lapides, in quibus Iuliae nomen reperitur, non ad Liviam, sed solum ad Iuliam Augusti Filiam, & Tiberii Coniugem referre liceret. Ceterum multis ex nummis, atque marmoribus constat, post Augusti Coniugis mortem quandoque Liviam, quandoque Iuliam indiscriminatim appellatam fuisse. Sed ad Signum nostrum redeamus, quod quidem recte convenit cum Livia. Cum enim illud Pietatem exhibeat potius, quam Pudicitiam, facile ad eamdem ipsum pertinere arbitramur; propterea quod plurium Antiquariorum opinio ferat, nummum quemdam, in quo legitur PIETAS, Liviae esse tribuendum (8), quemadmodum & alios, in quibus habetur SALVS, & IVSTITIA. Verum ut aliquid de huius Signi ornatu attingamus, advertimus, heic exhiberi feminam duplici veste amictam; Interior quidem ita ad talos pertingit, ut tamen pedes cum soleis conspiciendos sinat; superior vero paullo magis decurtata est ob

(1) *Tacit. Annal. Lib. I.*
(2) *In August. cap.* 102.
(3) *De Usu, & praest. Numism. Differt. XI. pag.* 273.
(4) *Hist. Lib. II. Cap.* 75. *num.* 3.
(5) *Num. Imper. pag.* 53.
(6) *Columbar. Liviae pag. XXII.*
(7) *Hist. Aug. ad ann. Christi XIV.*
(8) *Vaillant de Num. Imp. To. I., & Patarol. Ser. August. &c.*

ob eiufdem limbum fupra finiftrum humerum reiectum, ita tamen, ut ante pectus finum efficiat, ex quo dextera manus fe prodit. Siniftra autem manus eamdem veftem crifpando fuftinet, ut ipfa inferne protenfa ad veftis oram fefe confpiciendam praebeat. Caput eadem fuperiori vefte velatum cernitur, ut Pietatem decet, vel Sacerdotem, cuius munus erat adftare facrificiis, quae fine velo peragi nefas erat. Hunc ritum innuit Virgilius (1):

Et pofitis Aris, iam vota in littore folves,
Purpureo velare comas adopertus amictu.

Ceterum Carolus Patinius ad Svetonium (2) profert nummulum aereum rariffimum, quo infuper cultam videmus ΑΙΒΙΑΝ, ut ΗΡΑΝ *Iunonem*, & ΙΟΥΛΙΑΝ, ut ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ *Venerem*.

Tab. LXXX.

CAIUS CALIGULA.

Amaduzius

INter ignotos Heroes Signum hoc retulerat Venutius nofter, & dubie fimul Traiano Imperatori tribuerat. Nos vero numifmatum praefidio, quae genuinos vultus Imperatorum praefeferunt, Caligulae tribuendum cenfuimus. Sed & eius defcriptionem, praeter numifmata, dedit Svetonius in eius vita (3), dum ait: *Statura fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima cervicis, & crurum, & oculis, & temporibus concavis, fronte lata, & torva, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirfutus cetera.* Nec omittenda etiam Senecae de eodem expofitio (4): *Tanta illi*, ait, *palloris infaniam teftantis foeditas erat, tanta oculorum fub fronte anili* (Lipfius legit *fimili*) *torvitas, tanta capitis deftituti, & emendicatis capillis afperfi deformitas: Adiice obfeffam fetis cervicem, & exilitatem crurum, & enormitatem pedum.* Tum alibi (5) folum Caii vultum inter horribiliores cruciatus adcenfet. Infuper Plinius (6) adnotat in eo *oculos rigentes*; Quorum multa hoc in Signo quifque deprehendet. Nudus praeterea heic ipfe adftat, enfis capulum dextera manu fortaffe gerens, finiftra pone dorfum remiffa. Quod hic Imperator, ficut & plerique alii, nudus exhibeatur, vel id tribuendum Artificis induftriae, qui

(1) *Aeneid. Lib. III. v.* 405.
(2) *In Auguft. pag.* 116.
(3) *Cap.* 50.
(4) *De Conftant. Cap.* 18.
(5) *Lib. III. de Ira.*
(6) *Lib. XI. Cap.* 37.

qui artem, qua in ſcalpendo valebat, optabat oſtendere, vel ex eo repetendum, quod quemadmodum Heroes viribus, & corporis habitudine commendabantur, ita detectis artubus effingi conſueverint; ac poſtrema ratio ea eſſe poſſet, ut Imperatores ſe Semideos proderent; quemadmodum & iam in vivis haberi, & coli volebant, praeſertim vero poſt aſſequutos apotheoſis honores, quibus Deorum caetui ſociari opinabantur; Dii ſiquidem nudi efformari ſolebant, ut & ſuperius innuimus, quod propter naturae praeſtantiam veſtibus nequaquam indigerent. Praeterquam quod de Caligula noſtro praedicatur, eo veſaniae progreſſum, ut divinam ſibi maieſtatem etiam vivus aſſereret, & Statuam ſuam Hieroſolymis adorandam in Templo collocari iuſſerit (1). Romae etiam Templum ſibi aedificavit, in qua Simulacrum eius ſtabat aureum iconicum, quin & Simulacris Numinum, inter quae illud Olympici Iovis, capite dempto, ſuum imponi mandavit (2). Ceterum cum in Senatu multi cenſuiſſent poſt eius mortem abolendam Caeſarum memoriam, & templa diruenda (3), Statuas ipſius quoque deiectas fuiſſe certum eſt, ut putavit etiam Patinius in Svetonium. Quare quae reliqua nunc ſunt Caii Signa, in pretio haberi decet.

TAB. LXXXI.

TIBERIUS CLAUDIUS.

AMADUTIUS

TRaianum hoc in Signo expreſſum putavit Venutius; Verum nos ex oris lineamentis, quae Signum hoc commune habet cum Claudii effigie in nummis inſculpta, argumentum duximus, quo idem hoc Signum Claudii nomine inſcriberemus. Eius quinetiam deſcriptionem habes apud Svetonium in eius vita (4), ubi ſic ait: *Auctoritas, dignitaſque formae non defuit; nam & prolixo, nec exili corpore erat: & ſpecie, canitieque pulchra, opimis cervicibus*. Tum addit eidem *poplites minus firmos, ſpumantem rictum, humentes nares, & caput tremulum*. Aſt Imperator noſter Gladiatoris forma effictus, tamquam ad pugnam ſtricto gladio expeditus videtur. Brevi inſuper chlamyde, ſeu paludamento indutus cernitur, quae ad dexterum humerum Romano more fibula adſtringitur, cum Graecanico ad ſiniſtrum

id

(1) *Hieronymi Megiſerii Theatrum Caeſar. Lentiis ad Iſtrum ann. 1616. pag. 13.*

(2) *Sveton. in eius vit. cap. 22.*

(3) *Sveton. in eius vita cap. 60.*

(4) *Cap. 30.*

id fieret, ut admonet etiam Fabrettius (1); tum & laevo brachio circumvolvitur ad eam corporis partem ab hoste tuendam. Nudus denique cernitur, Athletarum more, robustaque corporis firmitate, cuius etiam testem habemus Svetonium ipsum, qui Claudium *prolixo, nec exili corpore* fuisse affirmat, ut supra vidimus. Multos Romanos Imperatores gladiatoriis ludis usque ad insaniam operam navasse, passim in vetustis Auctoribus legimus. Idem etiam Svetonius (2) testatur, Claudium huiusmodi ludis impense delectatum fuisse. Etsi vero multi Imperatores gladiatorios ludos in deliciis habuerint, atque etiam exercuerint, non idcirco verosimile est, eos tali quoque forma fingi voluisse; Sed eos potius Athletis similes exsculptos ab antiquis crediderim, ut eorum aliquod egregium innuerent facinus, aut corporis robur, & habitudinem ad pugnandum ostenderent.

Tab. LXXXII.

CLAUDIUS DOMITIUS NERO.

Amadutius

Signum hoc intactum Venutius reliquerat, ac proinde ad eum exponendum nos eiusdem vices expleturi accedimus. Neroniani vultus ectypi, quos habemus in nummis, ansam nobis ad ipsum Neronem in hoc Signo detegendum praebuerunt. Accedit quinetiam Svetonii (3) descriptio, quae sic se habet: *Statura fuit pene iusta, corpore maculoso, & foedo, sufflavo capillo, vultu pulchro magis, quam venusto, oculis caesiis, & hebetioribus, cervice obesa, ventre proiecto, gracillimis cruribus, valetudine prospera*. Tum addit: *Circa cultum, habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit*. Ceterum in hoc Signo Imperator dexteram manum elatam habet, in qua sceptrum conspicitur; Sinistrum autem brachium inflexum ventri super umbilicum adhaeret, manu dein in pugnum contracta. Nudus, ut plerique eorum, quos usque adhuc expendimus, quique etiam subsequuntur, exhibetur. Idem Svetonius testatur (4), Neronem citharizandi studio impense tactum fuisse. Hinc Nero Citharoedus cerni poterit in eleganti Ficoroniana Imaguncula apud Causeium (5). Quae de Nerone habentur, ita quisque com-

(1) *Inscript. Domest. Cap. V. pag.* 400.
(2) *Ibid. cap.* 21.
(3) *In eius vit. cap.* 51.
(4) *Ibid. cap.* 22.
(5) *Mus. Roman. To. I. Tab. LVIII. pag.* 107.

comperta habet, ut narrationem nostram nequaquam desiderent. Signum hoc nostrum praeterea ita simplex est, & nudum, ut quod insuper a nobis addendum sit, nihil suppetat.

TAB. LXXXIII.

CLAUDIUS DOMITIUS NERO.

AMADUTIUS

QUantum a pietate, & clementia distat impietas, & crudelitas, tantum quoque abest, ut Signum hoc Antoninum Pium exhibeat, ut putaverat Venutius, cum potius repraesentari ab ipso Neronem, numismata omnia, quae ipsius effigiem praeseferunt, tum crinium cultus aperte suadeant. Duo in Hortis ad Caelium eiusmodi Signa plane similia prostant, quorum unum restauratum fuisse, animadvertimus. Quare nunc observamus, Neronem heic exhiberi laureato capite, & crine concinno, quem scilicet ipse in gradus formatum, & pone verticem submissum gestare post Achaicam peregrinationem consuevisse, superius ex Svetonio innuimus. Insuper caput ipsum praetexta velatum est, sacrificantium more, quemadmodum dextera manu pateram gerit, sinistra volumen, quae omnia ad Imperatorum, & Pontificum munus simul pertinere, perspicuum est. Cistulam, seu capsam Librorum cernimus ad ipsius pedes. Altera huiusmodi clausa videri potest apud Sponium [1], prope quam Praeceptor est docens, non longe autem a puero, qui adstat docendus, conspicitur fasciculus libellorum, seu voluminum, quorum unum puero Praeceptor tradit ex parte explicitum. Cum vero Romae Magistratus, & Caussidici plerumque ostentationis caussa magnos voluminum fasciculos secum deferrent in Forum, hinc Iuvenalis [2] eos notat, tamquam haberent *magno comites in fasce libellos*. De huiusmodi Cistulis, sive Scriniis suprius etiam diximus [3].

(1) *Spon. Miscell. Erud. Antiq. pag.* 229. (2) *Satyr. VII. v.* 107. (3) *Clas. VII. Tab. LXXXIII.*

TAB.

Tab. LXXXIV.

FLAVIUS DOMITIANUS.


Amadutius

Enutii noſtri oculos effugerat Signum hoc, cui nos Domitiani nomen indidimus adducti formae ſimilitudine, quam eius numiſmata oſtendunt, tum a deſcriptione, quam tradit Svetonius [1], qui eum fuiſſe ait *ſtatura procera*, *vultu modeſto*, *ruboriſque pleno*, *grandibus oculis*, *verum acie hebetiore*, ut nunc mittam cetera, quae mox perſequar. Quare nudus ſtat Imperator noſter, pallio tantum ab humero poſt tergum pendente, quod dein ſiniſtro brachio exceptum ſuſtinetur. Caput Capillamento adſcititio decorum cernitur, quo Domitianus utebatur, ut deformitati, quam, teſte eodem Svetonio, ei calvities afferebat, conſuleret. Dextera manu enſis capulum, ſiniſtra vaginam gerit. Ad pedes adſtat Martis Thorax, qui non ita obvius in Signis advertitur. Iam alibi vidimus Martem ipſum forte ſub aſpectu Lucii Veri Imperatoris [2], aut alterius, ut propterea hinc conſtet, decus, & robur ſibi ipſis Imperatores mutuari ab huius Dei ſymbolis conſueviſſe. Si pedes perpendas, id vitii in iiſdem deprehendas, quod notavit Svetonius [3] ipſe, dum digitos reſtrictiores Domitianum habuiſſe, ſcripto prodidit. Quamvis heic ipſum in marmore expreſſum habeamus, tamen ex eodem Svetonio ſcimus, Statuas ſibi in Capitolio non niſi aureas, & argenteas poni permiſiſſe [4].

Tab. LXXXV.

NERVA TRAIANUS ULPIUS.

Venutius

Tatua haec, quam illuſtrandam aggredimur, & quae ad Traianum pertinere videtur, civili cultu ornata eſt ſine laurea, tantummodo dextera volumen, ſiniſtra globum tenens. Hic quidem globus mole parvus imponi dexterae ſolebat priorum Imperatorum; ut videri poteſt in nummis Auguſti, Claudii, Traiani, aliorumque [5]. Idem mos ſervatus eſt in Statuis, ut cuicumque licebit animadvertere, qui Pinacothecas Romanorum Procerum adeat. Verum Gordiani aevo idem

(1) *In eius vit. cap.* 18.

(2) *Claſs. I. Tab. X. pag.* 8.

(3) *Loc. cit.*

(4) *Ibid. cap.* 13.

(5) *Vid. Vaillant Numm., & Bellor. Num. XII. Caeſar.*

idem globus tam in nummis, quam in Statuis amplior est effectus, quandoque victoriola super imposita; quod posteriores Imperatores longo tempore servaverunt. Toga, & tunica communi usi sunt optimi Imperatores, ut Traianus, Hadrianus, & Antoninus. At Alexander Severus apud Lampridium (2) gemmas calceamentis, & vestibus sustulit, quibus usus fuerat Eliogabalus, veste alba contentus, & non aurata, penulis, togisque communibus. Tacitus togas, & tunicas easdem adhibuit, quibus usus fuerat privatus (3). Calcei Caesari Dictatori fuere purpurei, aut rubri (4), quod a ceteris Imperatoribus servatum fuit, quamquam nonnulli gemmas apposuerint; Tam horum, quam Magistratuum, & Patriciorum postea altiores, Consulum vero etiam inaurati (5). Demum calcei Imperatorum interdum crepidae, aut soleae fuere, quas Graeci vocant ὑποδήματα, quia habenis, seu loris adstringerentur pedi, & cruri.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Habes sane in hoc Signo, in quo Traianus sedens effingitur, τῆς πολιᾶς ἀυτοῦ τὸ γαῦρον, καὶ τὸ σεμνοπρεπὲς τοῦ προσώπου, canitiei dignitatem, vultusque gravitatem, ex qua, teste Dione in eius vita, illum agnoverunt Agareni, etsi omnibus imperii insignibus nudatus esset. Signum hoc modo ceteris Vaticani Musei ornamentis, quae CLEMENTI XIV. P. O. M. accepta referri debent, accessit.

Tab. LXXXVI.

MARCIANA AUGUSTA.



Enutius noster singulare hoc Signum ad Cererem Reginam retulerat, verum nobis, qui potius vultus similitudines, quam symbola ab imperitis mangonibus addita moramur, Marcianam Traiani Sororem heic expressam haberi visum est. Constat eius nomen ex Arcu Triumphali Anconitano, testibus Occone (1), aliisque Antiquariis, necnon ex quibusdam numismatibus argenteis apud eosdem. Haec tandem inter Divas relata est, quemadmodum eumdem honorem obtinuit post mortem etiam eius Filia Matidia. Papavera, & spicae Venutio in caussa fuerunt, cur Cererem heic agnosceret, quemadmum ob sceptrum Reginam insuper eamdem salutavit. Verum symbola haec recenter adsuta conspiciuntur ab audaci, & imperito Artifice, quem sane, AMADUTIUS

(1) *In vit.*
(2) *Vopisc. in vit.*
(3) *Sveton. in vit.*
(4) *Cassiod. Lib. XVI.*
(5) *In Num. Impp.*

ne, ut & alios ſimiles, quibus nunc haec Urbs abundat, iure legis Corneliae de falſis coerceri, ac caſtigari identidem vellem. Inſuper male ab Operis deſcriptum, atque caelatum fuit hoc Signum, cum alternaverint Symbola haec ipſa, quae in utraque manu exhibentur; Quae enim in Tabula aenea habet dextera, in Marmore gerit ſiniſtra, quemadmodum quae in ſiniſtra manu Tabula praeſefert, Marmor in dextera repraeſentat.

TAB. LXXXVII.

SABINA AUGUSTA.

VENUTIUS



Noſtra non vulgaris Statua praeter capitis mitellam ei valde ſimilem, quam geſtat ſupra caput Sabina Auguſta Hadriani Uxor, ut ex eius nummis agnoſcitur, ſtrophio, ſeu faſcia pectorali circumcingitur. Haec adhibebatur ad papillarum tumorem comprimendum. Hinc Catullus (1):

Nec tereti ſtrophio lactantes vincta papillas.

Non tantum palliis, ſed & palliolis mulieres utebantur, quae perbreve operimentum fuerunt, ut in noſtro Signo videre eſt. Iuvenalis (2) mulieres palliolatas memorat, dum ait:

vel Dorida nullo
Cultam palliolo

Item Martialis (3):

Hanc volo, quae facilis, quae palliolata vagatur.

Demum noſtra Statua ſoleas habet. Solea obſtragula non habebat, ſed tantum quibuſdam ligamentis, ſive ligulis, quas anſas vocabant, ſuperiori pedis parti obvinciebatur. Plautus in Caſina (4): *Si effexis hoc, ſoleas tibi dabo*. Propertius:

Proſilit in laxa nixa pedem ſolea.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Heic monere oportet, fruſtra nos in Hortis Caelimontanis, & in Aedibus ad Circum Flaminium Signum hoc, quod Sabinae Hadriani Uxori Venutius tribuit, exquiſiviſſe. An perierit, vel alio allatum ſit, nos quidem plane latet. At Paullus Alexander Maffeius in eius Statuarum Collectione Tab. CVII. pag. 99. ſub Sabinae nomine adduxerat Signum aliud Matthaeianum, quod nos ſub Pudicitiae nomine Tab. LXII. prodire voluimus. Et quoniam calamus in manu nobis nunc eſt, addere etiam liceat nonnulla, quae ſtro-

(1) *Epigr. LXIII. 65.*
(2) *Satyr. III. v. 94.*
(3) *Epigr. Lib. IX. 33. 1.*
(4) *Act. III. Scen. 5. v. 63.*

ſtrophium a Venutio memoratum plenius illuſtrent. Anacreon Ode XX. vocat ſtrophium ταινίαν, & Pollux VII. 65. τῶν μαςῶν τῶν γυναικείων ζῶσμα, *mammarum muliebrium cinctum*. Apuleius *Metam.* II. rubeum deſcribit: *Et ruſſea faſciola praenitente altiuſcula ſub ipſas papillas ſuccinctula*. Et Virg. *Aeneid.* Lib. I. v. 492:

Aurea ſubnectens exertae cingula mammae.

TAB. LXXXVIII.

A N T I N O U S.

AMADUTIUS

QUamquam nullus locus Antinoo inter Auguſtos ſit, ſi dignitatem ſpectes, tamen nunc per nos heic recte collocandus venit, quod omnes numiſmatum illuſtratores ipſum poſt Hadrianum ſtatuant, quodque etiam ipſe Ioſephus Blanchius in deſcriptione Tablini Medicei (1) Antinoi Protomen alteri, quae Hadrianum refert, ſuccedere voluerit. Quare nos Signum hoc ipſum, quod ſub ignoti Herois nomine expoſuerat Venutius, & in quo tamen primo obtutu Antinoum quiſque facile deprehendat, commode heic poſt Sabinam Hadriani uxorem adducimus. Siquidem nemo eſt, qui ignoret, Iuvenem hunc e Claudiopoli Bithyniae Urbe Hadriano cariſſimum fuiſſe, qui dum Nilum cum Imperatore navigaret, navi excidit, & ſubmerſus eſt magno cum eius dolore, qui ipſum propterea Statua, Templo, & Ludis honoravit (2). In eius etiam honorem nummi percuſſi ſunt, quorum unum refert Patinius (3). Petrus Lambecius (4) refert, quoſdam cenſuiſſe, Hadrianum prope Salisburgum Antinoum ſuum in aere reliquiſſe, licet ipſe Statuam illam aeneam inventam in ruinis Municipii Solvenſis potius in honorem Tiberii Barbii Titiani, qui fuit Decurio Aemonae, & cuius Inſcriptionem adducit, erectam velit. Ceterum Gruterius (5) Statuam quamdam pulcherrimi operis olim in Carinthia ſitam in Monte Sanctae Helenae, translatamque Salisburgum Antinoi Genium expreſſiſſe ſcribit. Pauſanias (6) vero teſtatur, Templum eidem apud Mantinenſes fuiſſe erectum, divinoſque honores ſancitos. Tum Bithynios ipſos Templum Civi ſuo ſtruxiſſe, probat rariſſimus nummus maximae magnitudinis in Muſeo Bracceſio a Cl. Fabrettio (7) obſervatus; cui accedit alius non minus praeclarus, ac fere ſimilis

(1) *Part. I. pag. 120.*
(2) *Sex. Aurel. Victor., Spartian., & Xiphil. in Hadrian.*
(3) *Theſ. num. antiq.*
(4) *Commentar. de Biblioth. Caeſar. Vindobon. Lib. II. Cap. VIII. col. 395. edition. Vindobon. Cl. Kollarii ann. 1769. Vid. & Nicolaum Meyerium in Comment. de Statuis, & Coloſſis Rolandinis edit. 2. Halae Magdeburg. ann. 1729. pag. 28.*
(5) *Inſcr. antiq. pag. 989. n. 3.*
(6) *In Arcad. Lib. VIII.*
(7) *Inſcr. Domeſt. Cap. VI. pag. 462.*

milis olim in Museo Carpineo [1], nunc Vaticano exsistens; Quemadmodum in nummo etiam apud Tristanium [2] Antinous aperte Deus enunciatur. Divinum tandem cultum eidem asserit singularis quoque maximi moduli nummus Christinae Svecorum Reginae ab Hostilio Marcello eidem pudendo Numini attributus, quem vide apud Fabrettium [3]. Praeter hoc Signum duo alia huic simillima quinetiam prostant in Hortis Caelimontanis, quaeque omnia proinde eumdem exhibent nudum, palliolo dumtaxat a sinistro humero pendente, quod dein excipit sinistrum brachium, dum dexterum femori eleganter innixum tenet; Quemadmodum ibidem duae etiam eiusdem Protomae habentur, quas altero Tomo horum Monumentorum proferemus. Cl. Winckelmannius in eius Tractatu Praeliminari ad antiqua anecdota Monumenta [4], quae saepe laudavimus, Antinoum referre contendit Signum illud, quod in Capitolio est, quodque in Museo Capitolino [5] sub Aegyptii Idoli nomine Cl. Praesul Ioh. Bottarius edidit, qui etiam duo alia Signa eiusdem cinaedi ibidem [6] dedit. Antinoum quinetiam exhiberi asserit Winckelmannius in duobus Signis ex Numidico marmore, quae Tubere (ubi olim erat celebris Hadriani Villa) ante Episcopales Aedes prostant, quaeque in laudata a nobis saepe Statuarum Collectione a Maffeio adornata [7] consuli poterunt. Tum ipse Maffeius attulit ibidem [8] praeclarum, ac famigeratum illud Antinoi Signum, quod nunc in Cavaedio Vaticano conspicitur. Insuper insigne Antinoi caput colosseum ex Pario marmore Winckelmannius [9] adducit, quod est in Hortis Tusculanis Mondragonis Burghesiorum, ac tandem ibidem [10] etiam profert Anaglyphum quantivis pretii Antinoum repraesentans, quod est in Suburbano Albanio, quodque etiam ante ipsum Venutius noster illustraverat [11]; qua de re consuli etiam poterit Ioh. Chrysostomus Scarfoius in eius *Observationibus criticis* in Venutium [12]. Postremo tandem memoranda etiam nunc est ingens, ac praestantissima Antinoi Protome, quam Fridericus Marcellus Lantes S. R. E. Card.,

& Por-

(1) *Vid. Num. Carpin. Tab. I.*
(2) *To. I. pag.* 547.
(3) *Loc. cit.*
(4) *Cap. II. pag. XXII.*
(5) *To. III. Tab. LXXV. pag.* 145.
(6) *Tab. LVI., & LVII. pag.* 115.
(7) *Tab. CXLVIII. col.* 140.
(8) *Tab. III. col.* 3. *Vid. Aldrov. Stat. pag.* 116.
(9) *Monument. antichi inediti To. I. num.* 179. *Vid. To. II. Par. III. Cap. XIV. pag.* 235.
(10) *To. I. n.* 180. *Vid. To. II. ibid. pag.* 235., *& seqq.*
(11) *Borioni Collect. Antiq. Roman. Tab. IX.*
(12) *Venetiis per Modestum Fentium ann.* 1739. *Observ. VI. in n. IX. pag.* 8., *&* 9.

& Portuensis Episcopus nuper dono dedit SSmo D. N. CLEMENTI XIV., qui dein ipsam inter cetera Cimelia, quibus nunc mirifice ditescit Museum Vaticanum a se nunc conditum, reponi voluit.

TAB. LXXXIX.

ANTONINUS PIUS.

AMADUTIUS



Enutius noster hoc in Signo Septimium Severum agnoscendum esse, falso sibi persuaserat. Quare nos solita numismatum fide innixi id ipsum Antonino Pio asseri certo posse arbitramur. In hoc sane elegantissimo Signo Imperator veste militari Romana, quae similis Graecae est, amictus cernitur, tamquam ex bello victor. Victoria siquidem, quam ipse de Britannis, Mauris, Germanis, Dacis, Iudaeis, Graecis, & Alanis reportavit, clarum ei peperit nomen (1). Thorax ergo, quem gerit, griphybus, aliisque minusculis exornatur. In medio thorace praecinctus est zona. Retro pendet chlamys, seu palludamentum. Eo calceamenti genere utitur, quod medio crure tenus pertingit, & quo ima pedis pars non obtegitur. Hoc calceamenti genus *campagus* vocabatur, quod sane in heroica veste saepe observatur; siquidem eo praecipue utebantur Imperatores in triumphis, àc pompis solemnibus, in quibus nimirum exquisitior ornatus ad splendoris ostentationem parabatur. Auctor est Dio (2), Iulium Caesarem iisdem calceis usum fuisse altioribus, & rubri coloris, qui mos ad reliquos Imperatores posteriori aevo processit; Unde Corippus Iustini Iunioris imperialem habitum describens sic ait (3):

Purpureo surae rutilant fulgente cothurno.

. . . .

Augustis solis hoc cultu competit uti.

Gladium, seu parazonium insuper sinistra tenet, cuius lamina tegitur vagina, & versus Imperatoris pectus convertitur; sceptrum vero dextera gerit. At Signum hoc Eques Paullus Alex. Maffeius (4) antea protulerat, atque ex eo dein exhibuit Montfauconius (5) in quo sane exprimi

(1) *Iul. Capitol. in Antonin., & Sex. Aurel. Vict. in Epitom.*

(2) *Lib. XLIII. pag.* 234.

(3) *Lib. III.* 3.

(4) *Raccolta di Stat. Tav. CV. col.* 97.

(5) *Antiq. Explic. To. IV. Part. I. Tab. II. n.* 3. *Lib. I. Cap. VII. n.* 3. *pag.* 20.

primi Antoninum Pium Aug. iidem censuerunt, ut proinde mirari subeat, Venutium ab eis discessisse, ut supra vidimus.

Tab. X C.

M. AURELIUS ANTONINUS.

Venutius

Simulacrum Colosseum inter admirandas Urbis Statuas connumeratum ad M. Aurelium potius, quam ad L. Verum pertinere arbitramur. Heroum more Imperator nudus stat, pallio tantum ab humero post tergum pendente ad aliquam Chlamydis similitudinem. Virtus bellica M. Aurelii hoc Simulacro videtur ostendi, qui non fortunae indulgentia, sed meritis ad Imperium evectus est. Ex ipsa Simulacri forma, elataque manu videtur alloqui Milites; forsan cum Parthicam expeditionem pararet. Capitolinus (1): *Misso L. Vero ad bellum Parthicum, ipse Marcus omnia, quae ad bellum erant necessaria, Romae positus & ordinavit, & disposuit*. Quid si ad Germanicam expeditionem Imperatoris alloquutio pertineat? Idem Capitolinus (2): *Fratre post quinquennium reverso, in Senatu egit Marcus, ambos necessarios dicens bello Germanico Imperatores*; Et paullo post: *Contra Germanos res feliciter gessit*. De iis vero triumphavit, praecipue vero de Marcomannis. Ad huius belli apparatum cum, exhausto Aerario, pecunia deficeret, ne gravis esset Provinciis, supellectilem omnem suam privatam, & Palatinam in Foro, auctione facta, vendidit; bellum tum virtute, tum felicitate transegit; dein triumphavit, ac veluti Heros est habitus.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO.

Statua haec Colossea, quam heic illustrat Venutius, prodita iam fuerat a Paullo Alexand. Maffeio in saepius laudata Statuarum Collectione Tab. CVI. col. 99., quam tamen Lucio Vero ipse attribuit. Ceterum ipse etiam facile novit, huius Statuae vultum multum recedere a descriptione, quae est apud Capitolinum in eius vita, & apud Victorem in Epitome, ut proinde Artifex ab ipso ibidem assentationis arcessatur. Videas siquidem praesertim in hoc vultu barbam crispam, & intextam, *& plane philosophicae densitatis*, qualem Arnobius M. Antonino attribuit, & qualem insuper in nummis eiusdem cernimus, qui XV. Tribunitiae potestatis notam gerunt, quique proinde XV., ac postremo imperii sui anno cusi sunt. Verumtamen caput recens additum est, quemadmodum & truncus multis in partibus reparatus cernitur. Nihilominus inter praeclara Monumenta recenseri meretur hoc Signum, quod Graeci operis sane est, & quo nudus exprimitur (palliolo dumtaxat a sinistro humero ad dorsum reiecto) Imperator noster, ut

(1) *In vit. cap.* 8. (2) *In vit.*

ut nudus quinetiam habetur in Signo Tablini Medicei Florentiae, de quo consule Blanchium pag. 52. Nudi siquidem Imperatores sculpebantur, Deorum more, praesertim post Apotheosim, sicut etiam ob id Statuae colosseae, ut haec nostra, eisdem erigebantur, ceteris quamlibet insignibus viris ἰσομέτρητοι, uti observat Casaubonius ad Spartianum in Aelio Vero cap. 7., & Cl. Alexius Symmachus Mazochius,

Quem nunc emeritae permensum tempora vitae
Secreti pars orbis habet, mundusque piorum,

in *Spicilegii Biblici* To. II. pag. 229., quod quidem ex eo profectum putat, quod cum heroicis temporibus praecipua formae laus in proceritate, ac mole corporis sita esset, ideo Deos tunc Poetae, & Homerus praesertim giganteae staturae fingerent. Postremo tandem Romae impense carus fuit M. Aurelius, ac proinde, teste Capitolino in eius vita, *sacrilegus iudicatus est, qui eius imaginem in sua domo non habuit; hodie in multis domibus Antonini Statuae inter Deos Penates consistunt.* Hinc nil mirum, si Imperator noster nudus, ac colosseus Deorum more in hoc Signo expressus fuerit.

TAB. XCI.
ANNIA FAUSTINA.

AMADUTIUS

IGnotam Feminam Signum hoc inscribens Venutius facile, ac cito se ab omni difficultate, quin & labore expediverat. Nos tamen numismata, quae Faustinae Iuniori M. Aurelii uxori cusa sunt, prae oculis habentes, facile ab ipsis ad eamdem in hoc Signo detegendam opem, ac lumen accepimus; Quemadmodum etiam vultus similitudo plane convenit cum altero huius Augustae Signo, quod sub Pudicitiae symbolo exstat in Aedibus Capitolinis, & a Maffeio in sua Statuarum Collectione adducitur (1). Cernitur quapropter Augusta in hoc Signo, quod nos proponimus, tunica, pallaque induta, capillis panniculo coopertis. Huiusmodi capitis tegumentum reticulum appellabatur, quo mulieres ad capillos colligendos utebantur. Hinc Varro (2): *Et quod capillum contineret, dictum reticulum.* Ipsum memorat etiam Iuvenalis (3):

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

Cicero redimiculum appellare videtur (4): *Haec Civitas mulieri redimiculum praebeat, haec in collum, haec in crines.* Ceterum non solum marmoreis Signis Annia Faustina honorata est, sed & aureis, & argenteis, ut testis est Capitolinus in vita Antonini, ubi sic ait: *Tertio anno imperii sui Faustinam uxorem perdidit* (Antoninus), *quae a Senatu consecrata est, delatis Circensibus, atque Templo, & Flaminicis, & Sta-*

(1) *Tab. XVII. col.* 18.
(2) *De Ling. Lat. Lib. IV.* 29.
(3) *Satyr. II. v.* 96.
(4) *Act. II. in Verr.*

& Statuis aureis, atque argenteis, cum etiam ipſe hoc conceſſerit, ut imago eius cunctis Circenſibus poneretur.

Tab. XCII.

L. AURELIUS COMMODUS.

Amadutius

SIgnum hoc Heroem ſimpliciter inſcripſerat Venutius noſter: Nos tamen facile arbitramur, in hoc ipſo Signo Commodum Imperatorem, dum iuvenilis eſſet aetatis, expreſſum haberi; quandoquidem hac etiam iuvenili forma cernitur in nummis, in quibus una cum Annio Vero eius Fratre frequenter occurrit. Neque etiam Signa alia deſunt, quibus hic Iuventutis Princeps exprimitur; ſiquidem annorum XII. habetur in Signo Tablini Medicei, ut teſtis eſt Blanchius in eius Deſcriptione (1). Nudus ſtat Commodus in Signo hoc noſtro, Heroum more, ut ſaepe diximus, palliolo dumtaxat a collo ad dorſum pendente, quod fibula ſupra dexterum humerum alligatur, ac dein in ſiniſtrum brachium reiicitur. Dextera manu ſceptrum tenet, ſiniſtra enſis capulum. Nudus ipſe incedere etiam conſueverat, cum gladiatorios ludos exerceret, ut teſtatur Herodianus (2). Idem etiam affirmat, ipſum Simulacro illi Coloſſeo, quod Romanis venerabile erat, quodque Solis effigiem praeſeferebat, capite dempto, ſuum impoſuiſſe (3). Xiphilinus quoque aſſerit, Populum Romanum eidem Statuam auream mille lib. pondo collocaſſe (4).

Tab. XCIII.

L. AURELIUS COMMODUS.

Amadutius

M. Aurelium Antoninum nunc heic nobis in ſcenam produxerat Venutius noſter, cui forte cauſſam dedit altera equeſtris, ſed aenea, mirabiliſque Statua eidem erecta, quae nunc in area Capitolii conſpicitur. Aſt Eques Maffeius pluries laudatus in ſua Statuarum Collectione (5), ubi hoc Signum adducit, Hadrianum potius referre exiſtimat, cuius equus Boryſthenes, & eius Inſcriptio adeo celebris eſt (6), ut nihil a nobis addi nunc oporteat. Nos vere neu-

trum

(1) *Part. I. pag.* 138.
(2) *Lib. I. cap.* 15.
(3) *Id. ibid.*
(4) *In Compend. Dion.*
(5) *Tab. CIV. col.* 96.
(6) *Vid. apud Petr. Gaſſendum in vita Peireſcii; in Collection. Piſaur. omnium Poemat. To. VI. pag.* 285., *apud. Nic. Meyerium de Stat.*, *& Coloſſ. Rolandinis pag.* 30., *& apud alios.*

trum ſequuti tum ex nummis, tum ex aliis antiquitatis monumentis plura, ac potiora argumenta eruimus, quibus L. Aurelium Commodum equeſtri hoc Signo exhiberi opinemur. Equo ferina pelle inſtrato inſidet heic Commodus militari ſagulo, & paludamento indutus, dextera vero haſtam, quae nunc deficit, aut iaculum, ſagittamque tenet, forte ad belluam confodiendam. Scimus enim ex Herodiano (1), in deliciis fuiſſe Commodo cervos, damas, item & cornigera alia, leones quinetiam, pantheras, aliaque id genus nobiliſſima animalia iaculis confodere. Hinc etiam apud Laurentium Begerium (2) cernitur in Achate Eques curſu in pantheram iaculum vibrans, ac ſine ſtapedibus, antiquo more equitans, cuius facies Commodo reſpondet. Duo quinetiam praeclara Venationis Anaglypha in Aedibus Matthaeianis habentur, in quibus Imperator equo inſidens exprimitur, qui ab aliquibus Commodus, ab aliis Gallienus dictus eſt; Quod nos ſane alibi expendemus, cum haec Monumenta illuſtranda occurrent. Cum vero Statuae erigerentur interdum in ipſius animalis honorem, ſi quando impenſe deſideratum, dilectumque ab aliquo fuiſſet (3), nunc ſane non imprudenter omnino quis diceret, equum, cui Commodus inſidet, non alium eſſe, quam Praſinum illum, cui idem Imperator aureum Simulacrum fecerat, & de quo ita Capitolinus (4): *Illi paſſas uvas, & nucleos in vicem hordei in praeſepe ponebat, ſagis fuco tinctis coopertum in Tiberianam ad ſe adduci iubebat. Mortuo ſepulcrum fecit in Vaticano*. Ceterum conſtat etiam, conſueviſſe Artifices Heroibus equos adiungere, vel ut expeditionem exprimerent, vel ut ornamento proſpicerent. Hinc manarunt nomina ἱππεὺς, ἱππηλάτης, ἱπποχαίτης, ἱπποχάρμης, & ſimilia, quae ab Homero Heroibus tribuuntur, quibus eorum vel nobilitatem, vel virtutem deſignat. Pindarus (5) etiam Heroes ἱπποδάμους *equorum domitores* appellat, non ſolum ut eorum peritiam, induſtriamque in agitandis equis, ſed etiam ut vim, & robur ipſorum ſignificet. Statuae equeſtres quidem dedicari conſueverant, vel ob victorias in ludis, ut patet ex Plinio (6), vel ob ludorum editionem, ut ex Gruterii Inſcriptione (7) eruitur, ubi legitur: OB. INSIGNEM. EIVS. EDITIONEM. MVNERIS.... PLACVIT. EQVESTRI. STA-

(1) *Lib. I. cap. 15.*
(2) *Theſaur. Brandenburg. To. I. pag. 125.*
(3) *Vid. laudatum Meyerium loc. cit. pag. 29., & ſeq.*
(4) *In vit. Commod. cap. 6.*
(5) *Nem. IV. 48.*
(6) *Hiſt. Lib. XXXIV. cap. 5.*
(7) *Pag. 440. n. 1.*

STATVA .... ORNARI., vel ob militarem virtutem, ut docet Iuſtinus [1], dum ait: *De exercitu Alexandri CXX. equites cecidere, quos Rex..... Statuis equeſtribus donavit*; vel tandem ob merita in Rempublicam, ut ex Doniana Aquileienſium Inſcriptione [2] diſcimus, in qua Viro erga eorum Remp. optime merito poni videmus STATVAM . EQVESTREM . AVREAM . IN . FORO . A. C. ALVIO . POLLIONE . QVO . MAGIS . ETIAM . CETERI . AD . BENEFACIENDVM . IN . REPVBLICA . PROVOCENTVR; Quemadmodum etiam non ob aliam forte cauſſam Statuam aeneam ab Herculanenſibus promeritus eſt M. Nonius Balbus, cuius celebris eſt Inſcriptio, quam Marcellus Venutius [3], aliique attulerunt. Verum ut ad noſtrum Commodi equeſtre Signum redeamus, ſciendum eſt, nonnullos ex vulgaribus Antiquariis id recenti ſcalpro elaboratum cenſere, cum tamen opus, quod a nobis attente oculis undequaque luſtratum eſt, antiquitatis notas praeſeferat, licet quid novi etiam ob reſtaurationem, quam tulit, oſtendere alicubi videatur.

Tab. XCIV.

M. AUR. BASSIANUS ANTONINUS CARACALLA.

Amaduzius

Rurſus Venutius noſter M. Aurelium Antoninum nobis obiecerat, quem perperam tamen ſe in hoc Signo agnoſcere opinabatur, cum omnia oris lineamenta ad Caracallam potius pertinere videantur. Imberbis quidem heic Caracalla oſtenditur, cum ipſe imperium iuvenili aetate obtinuerit, natus nimirum XXIV. annos; licet quod ſine laurea conſpiciendus nobis praebeatur, facile perſuadeat, heic ipſum nobis iuniorem exhiberi, tamquam ſolum Caeſar renunciatus. Hinc in nummo ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ *Philippopolitarum* in Thracia, quem parvi moduli exhibet Cl. Eraſmus Froelichius in Appendicula ad Nummos Urbium Graecarum, quos Vaillantius edidit [4], cernitur caput nudum Caracallae cum epigraphe ſolo Caeſaris titulo inſignita Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC *Caeſar Marcus Aurelius Antoninus*. Inſuper heic nudus heroum more Caracalla conſpicitur, palliolum ſuper humerum geſtans

(1) *Iuſtin. Lib. XI. cap. 6.*

(2) *Inſcr. Claſſ. I. 84.*

(3) *Deſcrizione delle prime ſcoperte dell' antica Città d'Ercolano &c. Part. II. cap. VI. pag. 95.*

(4) *Vid. Eraſmi Froelich e S. I. de Familia Vaballathi, & eiuſdem Appendiculas duas ad Numiſmata a Vaillantio edita, curante Ioſepho Khell e S. I. Vindobonae 1762. Append. II. n. LXII. pag. 94.*

ſtans, & globum manu tenens ad orbis terrarum imperium deſignandum. Refert Capitolinus (1), Macrinum Imperatorem duas equeſtres Statuas, totidem pedeſtres habitu militari, & duas ſedentes civili vultu Caracallae poſuiſſe. Nonnulla huius Auguſti Capita, ſeu Protomae habentur etiam in Aedibus Farneſianis Tranſtiberinis, in Muſeo Capitolino, & in Suburbano Albanio, quae quidem ſatis elegantes ſunt, etſi, artibus iam prolabentibus, effictae ſint. Ceterum multum diſcriminis advertitur inter antiqua Monumenta, quae Caracallam iuvenili, & quae provecta aetate exhibent, ſiquidem teſte Spartiano (2), *vultu etiam truculentior factus eſt, prorſus ut eum, quem puerum ſcirent, multi eſſe non crederent*.

TAB. XCV.

P. LICINIUS GALLIENUS.

VENUTIUS

EX numiſmatum comparatione quis non videt Gallieni effigiem hic repraeſentari? Valeriani Imperatoris hic Filius fuit omnibus Imperatoriis artibus a puero inſtructus; Auguſtus etiam a Patre appellatus multa bene geſſit in imperii initio; Sed Patre (3) a Sapore Perſarum Rege poſtea capto, omnibus lugentibus, ipſe laetatus eſt, quod, excuſſo paternae ſubiectionis iugo, vino, libidini, & popinis tradere ſe totum poſſet. Anno tandem imperii XV. Aureoli fraude (4), contra quem profectus erat, a ſuis interfectus eſt prope Mediolanum natus annos L. Thema natalitium hic Imperator idem ſumpſiſſe videtur, quod Auguſtus, & Veſpaſianus; in nummis (5) enim, quos percuſſit, Centaurus ſagittas emittens apparet cum epigraphe: APOLLINI. CONSERVATORI. AVGVSTI. Ex quo nonnulli putant, Gallienum, expeditione in Orientem ſuſcepta, hoc ſignum Sagittarii, quaſi thema ſuum protuliſſe, & Solem, & Apollinem in eo ſigno expreſſum ſibi tutelarem Deum ſignificare voluiſſe. Eo regnante, XXX. Tyranni variis in locis exſtitere, qui rem Romanam miſere perdiderunt.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

An Venutius noſter recte de hoc Signo, quod Gallieno tribuit, coniecerit, prorſus ignoramus; quandoquidem in perluſtrandis omnibus Matthaeianarum Antiquitatum Monumentis nobis hoc Signum haudquaquam conſpiciendum occurrit. Quid autem de eo evenerit, nos pariter latet. In Delicio Albanio ſuburbano exſtat Gallieni Protome elegantiſsima, quae indicio eſt, bonas Artes nondum ea aetate prolapſas, ut cenſuerat Ficoronius in Obſervationibus in Diar.Ital. Montfauconii p.14. Vid. Winckelmannium laud. ſaepius Tract. Prael. Cap. IV. p. CI.

(1) *In vit. Macrin.*
(2) *In eius vit.*
(3) *Sex. Aurel. Victor. in Valer.*
(4) *Id. in Gallien.* (5) *Vaillant, & alii.*

CLASSIS

CLASSIS IX.

QUAE CONTINET

REGES BARBAROS.

TAB. XCVI.

MIDA REX PHRYGIAE.

VENUTIUS

IN nummo, quem refert Sponius [1], caput Midae cernitur cum pileo, cuius vertex in anteriorem partem flectitur, & cum epigraphe: ΜΙΔΑC. ΒΑΣΙΛΕΥC. Idem obſervari poteſt in Hadriani nummo [2] cum epigraphe: RESTITVTORI. PHRYGIAE, & in aliis Ilienſium nummis, in quibus Aeneas exhibetur hoc tegumento coopertus. Quin & Ulyſſem hoc modo pileatum animadverti in nummo Gentis Mamiliae. Bocchum Numidiae Regem vulgo appellant hanc ſatis praeclaram effigiem, eo quod vultus, manuſque ſint ex nigro marmore, cum reliquum corpus ex quadam alabaſtrite praegrandibus maculis notata conſtet. Nos quidem ad aliquem ex Barbaris Regibus potius Orientalibus, quam Africanis hoc Signum pertinere ducimus; Nam in numiſmatibus Iubae Mauritaniae Regis aliud capitis tegumentum videre eſt; Pileum vero, qui in hoc Simulacro eſt, ad Phryges, Parthoſque [3] ſpectare arbitramur. Deus Lunus in nummis Phrygiae Urbium hoc inſignitus pileolo aſpicitur, item Paris Priami Filius ut plurimum [4]. Cetera veſtimenta omnino illis ſimilima ſunt, quibus braccatos Barbaros obſervamus indutos in Arcu Triumphali Conſtantini, in Aedibus, & Hortis Farneſiis, & Columnenſibus, & in Capitolio. Quis iſte noſter ſit, neſcimus. Paris, vel Priamus eſſe nequit, cum eorum alter nimis ſit iuvenis, alter vero nimis ſenex. Ceterum Midam potius, quam alium quemlibet heic haberi ſuſpicamur. Ad tempora Traiani, Hadriani, vel Antoninorum ſculptura referri poteſt. Habitus proprius eſt nonnullorum Aſiae Populorum: Eo indutus incedebat Manes [5] Haereſiarcha, cum in Romano imperio novam effutiret doctrinam, ut illum deſcri-

(1) *Miſcell. Erud. Antiq. Sect. IV. pag.* 130.
(2) *Vid. Urſin., & Fabrett. Inſcr. domeſt. n.* 144., *& de Column. Traian. pag.* 379.
(3) *Vid. Morell. Specim. Rei Numm.*
(4) *Beger. in Tab. Iliac.*
(5) *De Cange Gloſs. l.* 19. *c.* 13.

defcribit Diodorus [1]. Hae caligae dicebantur *Saraballa*, atque a Tertulliano *Sarabara*.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO.

In Tablino Mediceo, ut ex Blanchio difcimus Par. I. pag. 88., exftat Signum huiufmodi, quod ipfe Midae nomine infcribere aufus eft. Phrygii hominis vultus cernitur in lapillo inter *Gemmas antiq. litteratas* Franc. Ficoronii Par. II. Tab. III. Fig. II. pag. 74., quarum illuftrator Nicolaus Galeottius ad Midam pertinere coniectando opinatur.

Tab. XCVII.

PTOLEMAEUS REX AEGYPTI.

Venutius

Hanc Statuam diademate, ac fceptro infignitam nonnulli generatim ad aliquem ex Ptolemaeis Aegypti Regibus referunt. Ego vero, fi divinandi locus datur, ex numifmatibus ad Ptolemaeum Cleopatrae Selenae Virum, ac Mauritaniae Regem referendum cenferem, qui a Caligula ob fplendidiorem purpuram, qua indutus ad Theatrum acceſſerat, interfectus eft.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO.

Pergit Venutius adnotare nonnulla de ritibus Statuarum dedicandarum, quae fane tantum abeft, ut opportuna, ut ipfe ait, cenfeamus, ut ea ipfa inopportuna potius, ac refecanda quinetiam nos modo duxerimus. Quod ad Ptolemaeorum Signa, Capita, aliaque Monumenta pertinet, in ea fumus opinione, ut cum Joh. Winckelmannio in Tract. Praelim. ad Monum. antiq. anecdota Cap. IV. Sect. II. pag. LXXXIII. nihil ad ipfos eadem fpectare exiftimemus. Forte intorti capilli, quibus donantur Ptolemaeorum capita in nummis, quique & in hifce marmoreis Imaginibus confpiciuntur, anfam dederunt, ut ipfe ait, ad Ptolemaeorum nomen eifdem tribuendum. Incerti Ptolemaei Protome adfertur a Laur. Begerio in *Thefauro Brandenburgico* To. III. pag. 326. Ceterum nullum rarius, quod Ptolemaei nomine gaudet, Caput adeft, quam aeneum illud, quod in Delicio Albanio extra Portam Salariam adfervatur.

(1) *In Act. Archelai pag. 69.*

CLASSIS

CLASSIS X.

QUAE CONTINET

MISCELLANEA.

TAB. XCVIII.

POETA.

AMADUTIUS

SIgnum hoc de Caio Mario Venutius exposuerat, de quo nos quidem ad Tabulam LXXII. (1) verba fecimus. Ast nos modo heic nullum certum virum ex facie nobis ignota prorsus deprehendentes, ex habitu tamen, ac symbolis, quae se produnt, Poetam heic repraesentari existimamus. Caput huius Imaginis calvum est, facies gravis, & seria, aetas provecta, ac toga, ex qua manus exerta cernitur, perbrevis est, ut caligas conspiciendas praebeat. Sinistra manu, & medico digito annulum gerit, ut & moris erat antiquitus (2). Statuas ipsas insignitas fuisse annulis, docet Plinius (3), qui ait Numae, & Servii Tulli Statuas in Capitolio annulum habuisse, quod confirmatur a Cicerone (4), qui ex statu, amictu, annulo, & imagine Scipionis Africani Statuas esse colligit & quae ad Opis, & quae ad Pollucis Aedem positae erant. Cycnus, sive Olor ad pedes adstat, qui cum Appollini dicatus esset (5), cumque, ingruente fatali momento, voce, cantuque praecipue praestare perhibeatur (6), facile nobis argumento fuit, Poetam heic nobis indigitari. Quod Poetis erectae Statuae fuerint, patet ex eo, quod Africanus prior Q. Ennii Statuam sepulcro suo imponi, clarumque illud nomen, immo vero spolium ex tertia Orbis parte raptum, in cinere supremo cum Poetae titulo legi voluerit (7). Poetarum Statuae etiam in Bibliothecis statuebantur; ac proinde ipsas in Bibliotheca Apollinis fuisse, tradit Plinius (8). Hinc Iuvenalis (9) sic Telesinum Poetam compellat:

Ut dignus venias hederis, & imagine macra.

Nec

(1) *Pag.* 69., & 70.

(2) *A. Gell. Noct. Attic. Lib. X. cap.* 10., & *Macrob. Saturnal. Lib. VII. cap.* 13.

(3) *Hist. Nat. Lib. XXXIII. cap.* 1.

(4) *Epist.* 1. *ad Attic. Lib. I. Vid. & Ioh. Kirchmann. de Annul. cap.* 2.

(5) *Apul. Florid. pag.* 829., & *Cic. Tuscul. Quaest. Lib. I.*

(6) *Aelian. Var. Hist. Lib. I. cap.* 14., *Rhodig. Antiq. Lect. Lib. IX. cap.* 5., *Themisth. Orat. VI. pag.* 164., & *alii.*

(7) *Meyer Commentar. de Statuis, & Colossis Rolandinis. Halae Magdebur. ann.* 1739. *pag.* 18. *Livius XXXVIII.* 56.

(8) *Epist. I.* 13. (9) *Satyr. VII. v.* 29.

Nec aliud innuere voluit Perſius [1], cum ait:

Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederae ſequaces.

Huius etiam rei teſtimonium eſſe poterit Ruſtici cuiuſdam Epiſtola ad Eucherium, quam edidit Cl. Sirmondius in adnotat. [2] ad Sidonii Epiſt., ubi haec habentur: *Sed dum haec tacitus mecum revolvo, occurrit mihi, quod in Bibliotheca ſtudioſi ſaecularium litterarum puer quondam, ut ſe aetatis illius curioſitas habet, praetereundo legiſſem. Nam cum ſupra memoratae aedis ordinator, ac dominus inter expreſſas lapillis, aut ceris diſcoloribus, formataſque effigies vel Oratorum, vel etiam Poetarum, ſpecialia ſingulorum autotypis epigrammata ſubdidiſſet &c.*, ut nunc, quae longius ſubdit Ruſticus iſte, praetereamus, qui quidem epigramma etiam refert, quod Virgilii imagini ſubiectum legebatur. Virgilii Statua etiam Mantuae a multis retro ſaeculis habebatur, quam quia Carolus Malateſta Ariminenſis, victis, fugatiſque apud Mantuam hoſtibus, ut de Poetis quoque triumpharet, evertere, & deturbare non dubitavit, multa in ſe infenſa ſcripta concitavit [3]. In Monaſterio Caſinenſium Caeſenae, ut habetur in *Itinere Italico* Mabillonii [4], exſtabat marmoreo monumento appoſita quondam Inſcriptio in honorem Auli Lucretii Hiſtorici, & Poetae, cui ob excellentiam ingenii Statua conceſſa, & in aprico illo Monte, nunc Deiparae ſacro, dicata dicitur, quam & Aldus Manutius Iun. [5], & Gruterius [6] attulerunt, ſed qua *inter omnia ſpuria nihil ſit ineptius*, ut Gruterius ipſe monuit [7]. At Cl. Claudiano Impp. Arcadius, & Honorius effigiem in Foro Traiano poſuerunt cum epigraphe, in qua nempe ſic legitur: STATVAM . IN . FORO . DIVI . TRAIANI . ERIGI . COLLOCARIQVE . IVSSERVNT [8]. Habes qui-

(1) *In Prolog. v. 5.*

(2) *Epiſt. X. Lib. II.*

(3) *De diruta Statua Virgilii P. V. V. eloquentiſſimi Oratoris Epiſtola. Ex Tugurio Blondi ſub Apolline. In To. III. Amoenitat. Litterar. Ioh. Georg. Schelhornii inter Memorabilia D. Raym. de Krafft pag. 225. habetur: Leonardi Aretini in Carolum de Malateſtis propter derogationem Statuae in memoriam Maronis factae Invectiva. Hanc ex Mſ. Krafftiano, forte Auctori coaevo, quod videretur inedita, totam ibidem inſeruit Schelhornius. Tum in Bibliotheca Paul. Lipſ. adſervatur Petri Paulli Vergerii Invectiva in Carolum de Malateſtis, qui Virgilio, & cunctis Poetis detrahebat. Vid. Ioach. Fellerium in Catalog. eiuſdem Biblioth. pag. 296. Conſule tandem Cl. Heſſelii Epiſt. de celebrando Natali Maronis, Mabillon. Muſ. Ital. To. I. pag. 207., & Ioh. Albert. Fabricium Bibl. Latin. in Virgilio.*

(4) *Iter Ital. To. I. pag. 41.*

(5) *Orthograph. v. Caeſena.*

(6) *Inſcript. antiq. pag. 432. n. 2.*

(7) *Ibid. ad calc. inter Corrig., & Animadv. pag. 7. col. 1. Vid. & Mabillon. Muſ. Ital. To. I. pag. 42., & Fabricium Bibl. Latin. in Lucretio.*

(8) *Barth. Adverſar. Lib. XLIX. cap. 1., & 19., & Gruter. pag. 391. n. 5. Vid. & Fabricium in Claudiano.*

quinetiam apud Gruterium [1] Inſcriptionem Oppidi Hiſconii in Regione Ferentana, ex qua diſcimus, Plebem univerſam Hiſconienſium STATVAM. AERE. CONLATO. DECREVI*ſse*. L. Valerio. L. F. Pudenti, qui cum eſſet annorum XIII., Romae certamine Iovis Capitolini, luſtro ſexto, claritate ingenii coronatus eſt inter Poetas Latinos omnibus ſententiis Iudicum. Suas inſuper effigies Poetae Graeci habuerunt, ac praeſertim divinus Homerus, cuius Statuae nimirum Athenis quoque in Arce ſervabantur [2], quas recenſere nimium foret.

Tab. XCIX.
HISTRIO.

Amadutius

Signum hoc, quod duplex erat in Hortis Matthaeianis (quandoquidem utrumque nunc ceſſit novo Vaticano Muſeo, quod ex munificentia CLEMENTIS XIV. P. O. M. excitatur) praeterierat Venutius noſter. Quare nos ad illud illuſtrandum modo accedimus, ac primo quidem monemus unum ex Signis hiſce iamdiu allatum a Sponio [3], etſi Antonius Franc. Gorius, ut infra videbimus, nullam huiuſmodi Hiſtrionis, ſeu Pantomimi imaginem ab Antiquariis adductam pronunciaverit. Sponianum Signum unum eſſe ex noſtris facile cenſemus, quod quidem, ipſo teſte, Romae effoſſum eſt anno MDXCII. in Quirinali retro Sanctae Suſannae Aedem. Scilicet utrumque exhibet Hiſtrionem ſupra baſim ſedentem, eiuſdemque angulo dextera manu innitentem. Utrumque quinetiam caput habet floribus, & vittis coronatum [4], quod longo capillitio inferne criſpato obtegitur; tum larva eius facies obtegitur, quae eſt ore admodum patulo, ſeu ut vox clarior ex ore emitteretur, ſeu ut auditorum riſum excitaret, cum ob id & oculi admodum aperti conſpiciantur. De Larvis huiuſmodi conſulendus Ageſilaus Mariſcottius, Ioh. Bapt. Pacichellius, Eph. Henr. Bergerius, Nicolaus Boindinius, ac omnium nuperrimus Franciſcus Ficoronius. Inſuper pallium ſiniſtro humero utrumque ſuſtinet, quo ad dexteram deſtituitur, quodque ſolutum eſt, ac breve, cum ad genua tenus tantum pertingat; ſiquidem, ut adnotat Donatus [5], *Servi Comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquae gratia, vel quo expeditiores agant*.

(1) *Inſcript. antiq. pag.* 332. *n.* 3.

(2) *Haymii Theſaur. Britann., interprete Aloyſio Comite Chriſtianio &c., Vindobonae* 1763. *To. I pag.* 207.

(3) *Miſcell. Erud. Antiq. Sect. IX. num.* 1. *pag.* 312.

(4) *Vid. Caroli Paſchalii Coronar. Lib. V. cap.* 5., *& Lib. IX. cap.* 1.

(5) *In Fragment. de Trag., & Com.*

agant. Siniſtrae manus digito, qui index dicitur, annulum geſtare videtur, cuius pala interne converſa eſt ad palmam, ut illud, quod de Gygis annulo praedicatur, credas renovari [1]. Hiſtriones donatos fuiſſe annulis, ex eo patet, quod Sylla Roſcium Comoedum eo honore affecerit [2], & Decimum Laberium Mimum Iulius Caeſar [3]. Licet annulus digito, qui minimo eſt proximus, geſtaretur, ut ad Tab. XCVI. ſuperius adnotavimus, tamen indici quoque tributus eſt aliquando [4], ut & in hoc noſtro Signo advertitur. Quare annulus, quo index ornanabatur, a Graecis κοςίανος peculiari nomine dicebatur [5]. Caligis barbaricis praeterea, ut Mimus magis ridiculus appareat, crura induta conſpiciuntur, & pedes calceis, qui & lemniſcis alligantur; tum pes pedi ſuperimponitur. Non abſimili modo exprimitur Davus in antiqua Terentiani Cod. Mſ. Vaticanae Bibliothecae Pictura; cum barbaris nempe calceamentis, & ore quinetiam, oculiſque multum apertis. Winckelmannius [6] inſuper de hiſce Signis Matthaeianis verba faciens adnotavit caligas ad pedum talos pertingentes, quas *ſubligacula* vocari ait, ut nimirum ex Cicerone [7] patet, qui ad rem noſtram perapte pronunciavit: *Scenicorum quidem mos tantam habet vetere diſciplina verecundiam, ut in ſcena ſine* ſubligaculo *prodeat nemo*. Alterum Signum, & quidem perſimile edidit Ant. Franc. Gorius, quem ſupra laudavimus, in *Auctario ad Diſceptationem Dominici Georgii de Locatoribus Scenicorum* [8], quod ita deſcribit: *Perraram, atque oppido inſignem perlubet heic adferre imaginem ex aere faberrime factam antiqui Pantomini, cui ſimilem nec video adlatam in Opere Cl. Ficoronii* de Perſonis Scenicis, *nec apud alios, ni fallor, egregios Antiquitatum Interpretes. Ea huiuſce magnitudinis olim exſtabat Florentiae in Muſeo pulcherrimo Iohannis Nardii Viri eruditiſſimi &c. Quam elegans ſit imago haec Pontomini, haud ſatis facile explicari poteſt. Cernimus eius caput inter vittas roſis (ut reor forſitan aureis intextis) coronatum. Pantomimorum coronae, quam ornatae eſſent, quoque artificio, quibuſve ornamentis compoſitae, hinc perſpicue colligimus. Vultum perſona tectum habet pallenti hiatu, quo vox maximo ſonitu ad ſpectatorum aures perveniret. Pallio ornatur, ſedetque in baſi, qua ſpecie & Comoe-*

(1) *Cicer. de Officiis Lib. III. cap.* 3.
(2) *Macrob. Saturnal. Lib. II. cap.* 10.
(3) *Sveton. in vit. Julii cap.* 39. *num.* 3.
(4) *Plin. Hiſt. Natur. Lib. XXXVII. cap.* 1.
(5) *Pollux. Onomaſt. v.* 16.
(6) *Monument. antichi inediti Vol. II. Part. IV. Cap.IX. num. II. A. pag.* 254., *e* 255.
(7) *De Officiis Lib. I. cap.* 45.
(8) *Symbol. Litterar. edit. Florent. Vol. II., cit. Diſſert. Cap. XI. pag.* 185.

Comoedi quoque in Gemmis ſculpti, & in aereis Signis apud eumdem Ficoronium occurrunt praeſertim in laudato opere Tab. XVIII., XXVII., XXXVII., in quibus quandoque baſes ipſae coronis circumcinguntur. Praecipua diſcrimina, quae intercedunt inter imaginem Gorianam, & noſtras, in eo praeſertim ſunt, quod noſtrae marmoreae, illa aenea, tum noſtrae larvam habeant ore anguſtiori, & annulum in indice ſiniſtrae manus gerant, qui in altera deſideratur. In ceteris & veſtis, & cultus, & totius corporis conformationibus vix unam ab alteris diſtinctam agnoſceres. Hiſtrionibus quidem Statuae conceſſae ſunt, ut de Mneſtere Hiſtrione Dio Caſſius teſtatur (1), cui nimirum Meſſalina Aug., quae ipſum etiam ad concubitum per Claudium Virum ſuum callide coegit, ἀνδριάντας ἐποιήσατο, *Statuas fecit*. Huic addi etiam poteſt C. Iulius Bathyllus Aug. Libertus, cuius meminit Phaedrus Conlibertus in Fabulis (2), & cui Statuam cum Inſcriptione iam antea poſitam, tum inter cetera Monumenta Columbarii Liviae hac dein aetate inventam tradit Franciſcus Ficoronius (3). Ceterum per haec Signa noſtra, quae nunc illuſtravimus, Ars Mimica exprimi etiam potuiſſet, non autem peculiaris homo ullus ex Hiſtrionum grege. Hiſtrionum vero Etruſcorum figurae habentur in parvis Sigillis ex aere, quae vidimus in Muſeo Coratiano Cortonae, & quorum ectypum etiam habes in edito *Muſeo Cortonenſi* (4), praeter alia quinetiam, quae alibi occurrunt.

TAB. C.

GLADIATOR.

AMADUTIUS

DE hoc Signo omnino ſilet Venutius, in quo cum nos nullam effigiem, quam numiſmata praeſeferant, deprehendamus, ex ipſo coporis habitu, quem exhibet, eidem Gladiatoris commune nomen indidimus. Novum non eſt Gladiatoribus Statuas decretas fuiſſe, qui mos etiam apud Athenienſes obtinuit, qui, ſi quem Athletarum victorem deſignabant, Statuam illi obnixo genu cum ſcuto, porrecta haſta, impetum excipientem effinxerunt, eo quod Chabrias Miles Ageſilai hoc ſtatu impetum excipere docuit, & victor fuit (5). De Ro-

(1) *Hiſtoriae Roman. Lib. LX. cap. 22. edit. Reimar. Vol. II. pag. 959.*

(2) *Lib. V. Fab. VII.*

(3) *Maſchere Sceniche.Rom.* 1736.*Cap.V.pag.*36.,*& ſeqq.*

(4) *Tab. XVIII., & XIX. pag. 26.*

(5) *Alexand. ab Alexand. Genial. Dier.Lib.IV.Cap.XII.*

Romanorum consuetudine nihil est, quod dicam; huius enim testis sane locuples est, ut ceteros mittam, nobilis illa Gladiatoris Statua, quae est in Hortis Burghesiis in Monte Pincio, & quae etiam in Museo Capitolino adservatur, etsi Ioh. Winckelmannius (qui nimio novitatis, & critices studio abstractus omnia fere antiqua Romana Monumenta suis spoliavit nominibus, ut nova inderet) neutram Gladiatorem referre contendat. Hanc enim vel Praeconis, vel Buccinatoris effigiem censet (1), illam vero insignis Bellatoris iconem asserit (2), qui in alicuius Urbis obsidione strenue se gesserit, ut proinde Statua, qua ipse arrecto capite exprimeretur, donari meruerit. Sed quis non videt Litteratissimum Virum, (cui sit terra levis) inanes auras captantem, & amplexantem τὴν σκιὰν ἀντὶ τοῦ σώματος, *umbram* sc. *pro corpore*? Ceterum indubiam de hac re fidem faciet praeterea etiam Demetrius egregius ille Pancratiastes Statua olim donatus, cuius Inscriptionem in basi repertam in Foro Traiano e Graeco in Latinum vertit, & refert in sua *Gymnastica* Hieronymus Mercurialis (3). Gladiator hic noster dextera manu ensis capulum tenet, vaginam sinistra. Supra dexterum humerum impositum linteum habet, quod per dorsum transiens ad sinistrum latus producitur, ut dein pudenda contegat. Putat quapropter Mercurialis (4), eos, qui nudarentur in gladiatorio certamine, usos fuisse subligaculis, ut verecundiae consulerent, probatque historia Orsippi cuiusdam ab Eustathio, & Pausania relata, qui ideo victoriam amisit, quod ipsi subligacula decidissent. Insuper Clemens Alexandrinus id laudis Athletis tribuit, quod numquam in arenam sine subligaculis prodirent (5). Quin Dionysius Halicarnass. (6) memoriae prodidit, colligi ex Homero apud priscos illos Athletas turpe habitum fuisse nudos certare; primum autem omnium Olympiade XV. Neanthum Lacedaemonem Olympiaco stadio decurrentem totum corpus denudasse, retentis tamen campestribus subligaculis: Feminae quoque gladiatrices iisdem utebantur, quae cuiusmodi essent, videre quis potest in Statua muliebri aerea, quae in Museo Kircheriano adservatur.

(1) *Monumenti antichi inediti Vol.* 1. *Trattat. Prelim. Cap. IV. Sect. II. pag. LXXI.*
(2) *Ibid. Cap. IV. pag. XCIII., & XCIV.*
(3) *Lib. I. cap.* 12.
(4) *Lib. I. cap.* 6.
(5) *De Paedagog. Lib. III. cap.* 9.
(6) *Antiq. Roman. Lib. X.*

TAB.

TAB. CI.
GLADIATOR.

Venutius

Iberum aliis esto, cuius sit hoc Simulacrum decernere. Ego quidem, quantum assequi coniectura possum, ad aliquem in gladiatorio ludo praestantem non gravate retulerim. Fuit iis etiam honor, qui eiusmodi certamen exercerent, quamvis infimae sortis hominibus, si viribus, & arte ceteris antecellerent. Non desunt enim aereae icunculae Gladiatorum, Athletarum, atque adeo Ludionum, & eorum, qui servi personam in scena egerant, quorum exstare memoriam veteres voluerunt, nisi forte animi gratia comparatae eae sunt, ut in fictis personis haberent prae oculis eas Artes, quae cum vere exercerentur, summa eos voluptate affecerant. De Statuis non idem facile dixerim, quae certe, maiori delectu habito, praestantibus plerumque in Republica Viris poni consueverant. Magnus earum numerus tum Romae, tum alibi fuit. Imperatoribus nisi eorum permissu excitari non poterant: Libera Republica, auctoritas accedebat Senatus, vel Populi, cum eae ponerentur. Ceterum privati Statuas privatis aliquando erigere soliti, quorum arbitrio interdum relictum fuit, ut locum eligerent. In aliis Civitatibus Corpora, sive Collegia, vel alia hominum genera, quibus in publicum aliquid decernendi potestas nulla fuit, ponendae Statuae facultatem petebant a Magistratu.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Pugilis, seu Athletae Signum prostat etiam in Tablino Mediceo, de quo Blanchium consule Part. I. pag. 52. Corporis nuditas, & robur artuum id Blanchio praecipue suaserunt, quae sane etiam in Signo hoc nostro manifeste se produnt.

TAB. CII.
FEMINA VELATA CUM PUERO.

Venutius

Nter varia capitis tegumenta, quibus olim mulieres utebantur, ut liquet ex Statuis, Capitium est, ita dictum, quod caput velaret; Flammeum deinde, sive Flammeolum, quod genus veli fuit, quo novarum nuptarum caput tegebatur. Appellatum autem Flammeum est, quod a Flaminica, hoc est Flaminis Uxore primum deferri

ferri ſolitum ſit, eratque coloris lutei. Lucanus de Martia iterum nubente [1]:

Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

Plaga praeterea, quae tegmen grande lineum erat [2], quale fortaſſe eſt, quod ſpectatur in hac Statua; quemadmodum etiam plaga olim Veſtales Virgines operiebantur. Puerulus ad Feminae latus praetexta indutus Bullam manu gerit, quae inſigne fuit praetextatorum Puerorum, praeſertim ſi aurea: Libertinis enim fuit ſcortea. Haec e collo ante pectus geſtari ſolebat, tamquam Pueros a faſcino tueretur [3]. Utrum autem rotunda ea eſſet, an cordis formam referret, ut videtur haec eſſe, quae manu geſtatur a Puero, ambigunt non pauci. Rotundae ſunt, quas videmus in Statuis, ut & aurea illa CATVLVS inſcripta, quae ſervatur in Muſeo Chiſiano. Amuleta vero aliquot poſteriorum temporum, mole tamen multo minora, quam Bullae olim eſſent, cordis figuram, vel frondis referunt. Pileolus vero, quo Puer obtegitur, rotundus eſt; hac vero forma eum fuiſſe, ſcribit Divus Hieronymus ad Fabiolam. Gerebant hunc Pueri ad aeris intemperiem vitandam, ut & galerum, qui a galea dicitur. Quare inter hunc, & pileolum aut nullum interceſſiſſe diſcrimen, aut parvum videbitur; rotunda enim galea eſt, ut & forma pileoli.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO.

Non defuit, qui nobis auctor eſſet, ut Galeriam Fauſtinam in hoc Signo agnoſceremus. Sed quid Fauſtinae Aug. commune cum Puero, etſi quae forte eiuſdem vultus lineamenta heic quoque qualicumque caſu deprehendi contingeret? Aſt humilis, & modeſtus habitus obnuptae huius Feminae, quae eleganti quodam capitis motu Caelum ſuſpicit, quaeque dexteram manum in ſinuoſo velamenti receſſu receptam habet, ac ſiniſtram manum erectam ad genam admovet, eaque vultum ipſum ſuſtentat, huiuſmodi quidem eſt, ut triſtem, ac ſupplicem eamdem praeſeferat. Ad Feminae latus qui adſtat Puerulus, praetexta indutus, & rotundo pileolo in capite inſignitus, aliquid etiam certe ſignificat. Hinc fuit, qui cenſuerit, Signum hoc votum, ſeu donarium fuiſſe, quod Mater pro Filii incolumitate Diis Salutaribus obtulerit, ſe ipſam proinde, & puerum in imagine exhibens. Quapropter macer puer in vultu cernitur, tum praetexta accurate amicitur, quam alii penulam temere exiſtimant, quae arcta erat, non ſinuoſa, ac ad cruris medium, non ad pedes pertingens, ut apud Auctores de re veſtiaria veterum diſcere eſt. Inſuper pileum, ſeu birrum habet, quo caput obtegitur, & quo ſane utebantur pueri, ut hinc pileus Heſychio τὸ ἐφήβων φόρημα *geſtamen ephebórum* audiat, ad aeris intemperiem arcendam iuxta utiliſſimum Aſcraei praeceptum Lib. II. Oper. v. 543: Κεφαλῆφι δ' ὕπερθεν πῖλον ἔχειν ἄσκητον, ἵν' οὔατα μὴ καταδεύῃ. *Supra caput vero pileum habe-*

to

(1) *Lucan. II. 361.* (2) *Bayſius de Re veſtiar. Cap. XIX.* (3) *Vid. Ficoron. della Bolla d'Oro.*

to elaboratum, *ne aures humefiant*. Quod praeter faciei maciem birrus quinetiam in capite infirmae valetudinis fignum praefeferat, vel ex eo patet, quod numquam Romani caput operirent, nifi Saturnalium, vel fpectaculorum aperto caelo editorum, vel itineris, aut morbi etiam tempore. Hoc infuper innuit Ovidius *de Arte amandi* Lib. *I.* verf. 737:

Arguat & macies animum, nec turpe putaris
Pileolum nitidis impofuiffe comis.

Nec aliud portendit, quod apud Artemidorum Lib. I. cap. 22. *Oneirocrit.* legitur: Ἔρια δὲ ἀντὶ τριχῶν ἔχειν, νόσους μακρὰς, ϗ φθίσιν προαγορεύει. *Lanas pro capillis habere longos morbos, & tabem fignificat*. Hinc etiam factum cenfemus, ut puer Telefphorus, qui inter Numina Salutaria cenfetur, cucullari vefte, feu cucullata lacerna, quae aegrorum ftatum defignat, femper indutus in veterum monumentis occurrat. Talis eft, quem habes apud Sponium *Mifcellan. erudit. antiq.* Sect. IX. pag. 312. n. III., ad pedes nimirum Statuae Aefculapii, quam ex eodem Sponio protulit & Montfauconius *Antiq. expl.* To. I. Tab. CLXXXVI. n. *6.* pag. 286., tum ex Equite Paullo Alex. Maffeio rurfus exhibuit ibid. Tab. CLXXXVII. n. 2. pag. eadem. Alteram fimilem Telefphori imaginem ex Foucaultio confule ibid. Tab. CXCI. n. 1. pag. 292. Tum Telefphorus ipfe inter Aefculapium, & Hygiam eodem veftimenti, & pilei genere indutus habetur in Gemma ex Iafp. r. apud Cl. Gorium *Muf. Florent. Vol.* 1. *Gemmar. antiq.* Claff. IV. Tabul. LXVIII. n. VIII. pag. 134. Tandem, cum elapfo Octobre anni CIϽIϽCCLXXI. Perufiae effem una cum Cl. Praefule Stephano Borgia Patrono, & Amico incomparabili, vidi in Mufeo olim Montemelliniae Gentis, nunc vero Borgiae illius Urbis patriciae parvum Signum ex aere pueri Telefphori penula induti, & pileolum in capite geftantis, quod utpote adfcititium ligamento ad collum adnectebatur, ut per eum & aperiri, & obtegi caput eiufdem pueri, inftar mobilis operculi, ad libitum poffet. Ad infirmae valetudinis indicium referri etiam poffunt calcei, quibus pedes pueri in Signo hoc noftro undique obteguntur, cum folis fandaliis, quae imas tantum plantas muniunt, puerorum pedes eleganter induti in veterum monumentis occurrant. Nunc vero obfervanda venit figura illa cordiformis, quam puer nofter manu gerit, quamque ad Bullam, veterum puerorum ornamentum, amandat Venutius. Aft Bullarum omnium veteres formae, quae & apud Sponium *Mifcell. erudit. antiq.* Sect. IX. pag. 299., & ex eo apud Monfauconium *Antiq. explic.* To. III. Part. I. Tab. XXXVII. pag. 70. occurrunt; tum illa, quam gerit Bacchus iuvenili facie expreffus fupra operculum infignis Ciftae Myfticae aeneae, quae inter cetera praeclara Cimelia Mufei Kircheriani adfervatur, quaeque pro Vafe ad fictitii cuiufdam Macolnii apotheofim temere ab illius Mufei Praefectis ufque adhuc accepta eft (Vid. Epiftolam noftram in Ephemeridibus Florentinis ann. CIϽIϽCCLXV. n. 16. col. 249., & feqq.); ac tandem celebris illa ex auro, in qua CATVLVS fcriptum legitur, quaeque in Mufeo Chifiano nunc proftat, perfectam rotunditatem praefeferunt, nec ulla adhuc inventa eft antiqua Bulla, quae ad cordis figuram accedat. Non ignoro quidem, Cl. Montfauconium in *Palaeographia Graeca* Lib. VI. ad Prolog. pag. 378. cordiformes Bullas etiam cenfuiffe, ut alios praeteream, qui forte Macrobii auctoritate adducti in hanc fententiam defcendere non dubitarunt; Ipfe enim *Saturnal.* Lib. I. cap. VI. fic ait: *Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in Bulla ante pectus annecterent, quam infpicientes ita demum fe homines cogitarent, fi corde praeftarent*. Aft Macrobius non afferit quidem, cordis figura Bullam fuiffe donatam, fed ait in Bulla cordis figuram expreffam fuiffe, quod fane quid diverfum cenferi debet, neque hoc fane eft huiufmodi, ut per ipfum cetera Scriptorum, & monumentorum teftimonia, quin & nominis ipfa fimilitudo, & ratio negligantur. Quare Folium herbae cuiufdam paluftris potius cenferem, quod puer nofter

manu

manu gestat, quandoquidem id etiam verosimilius fit, quod non annulo, sed pediculo adnexa in marmore figura illa cordiformis conspiciatur. Huiusmodi foliis nimirum aegri utebantur ad muscas abigendas, dum interim grato viriditatis refrigerio fruebantur; quamquam nec muscariis carerent veteres, quae instar foliorum cordiformium conficta erant, quaeque in conviviis potissimum adhibebantur. Hinc multae Etruscarum Feminarum imagines in operculis Ossuariorum hisce instructae sive foliis, sive muscariis occurrunt, & praesertim apud Cl. Gorium in *Mus. Etrusc.* Vol. III. Class. III. Tab. IV. n. 1. pag. 151., ut nimirum per huiusmodi convivalem ornatum innuerent, apud Elysios hilarem vitam perpetuo se agere, & gratissimis epulis pasci; nec calices ipsi, quos Etruscis in manibus sunt, aliud innuunt, ut praesertim videre est in Urna illa Etrusca pulcherrima, quam Tuderti in Palatio Centumvirali pluries vidi, dum apud doctissimum illius Urbis Episcopum Franciscum M. Pasinium Ariminensem hospitarer, & quae certamen Pelopis cum Enomao repraesentat, licet ab imperito Pictore in pugnam Amazonum deformatam exhibeat Cl. Gorius in *Mus. Etrusc.* To. I. Tab. CXXXV. Apud Bonarotium quinetiam in observationibus historicis in Numismata maximi moduli pag. 445. exstat Anaglyphum quoddam exprimens Bacchi triumphum una cum puero flabelli instar hederae folium manu gestante. Tum veterem Gemmam profert Leonardus Augustinius in Gemmis antiquis Part. II. Fig. 52., in qua cernitur Hermaphroditus stipatus Amoribus, quorum unus canit lyra, alter syringae calamos inflat, ac tertius denique folio, tamquam flabello auras movet, & somnum conciliat. Duas alias similes Gemmas habes etiam apud Gorium *Mus. Florent. Vol. I. Gemm. antiq.* Class. IV. Tabula LXXXII. n. IV., & V. pag. 158., & 159. Tandem apud Montfauconium *Antiq. explic.* To. II. Tab. CXVIII. n. 2. pag. 184. cernitur puer cum folio ad Venerem adstans. Nec desunt alia Etrusca Monumenta, in quibus folia maiora arborum conspicienda occurrunt, quibus tamquam donariis suorum defunctorum Manes, quasi Diis similes onorabant, quemadmodum nimirum cernere est in Urnis Guarnaccianis apud laudatum Gorium in *Museo Etrusco* Vol. *III.* Class. III. Cap. 13. Tab. XXV., & XXVI. Nemo enim ignorat, veteres singulis Diis arbores, & plantas dedicasse, & iuxta eorum Aras, & in eorum manibus posuisse. Hoc divinitatis argumentum alia Etruscorum Monumenta testantur, quae ab eodem Gorio loc. cit. Vol. I. Tab. CLXI. ad CLXIV. pag. 315., & seqq. proferuntur, quaeque nos consulto praetermittimus. Non omittendum tamen in Urnarum Etruscarum operculis sculptas Feminas passim haberi flabella gestantes, quae folia arborum latiora imitantur, quaeque idem Gorius inter divinitatis notas referendas non inepte existimat. Quare haud nos alucinari posse censemus, si figuram illam cordiformem, quam puer noster manu gerit, non Bullam, sed folium potius nominemus. Ceterum ne donarium pro pueri salute Signum hoc nostrum statuamus, nec pauca, nec exilia sane prorsus obstare nobis videntur. Compertum siquidem in primis est, vetera Deorum Templa plena fuisse donariis, votivis tabellis, inscriptionibus, & eorumdem etiam Numinum Signis, quibus nempe Templum ipsum dicatum erat. Ea nempa Ethnicis alte superstitio insederat, ut censerent in Deorum imaginibus, ac simulacris rite consecratis praesto esse, & habitare Deos ipsos, ut ex Arnobio Lib. VI. *adversus Gentes* discere licet; ac proinde dum Signorum huiusmodi numerus excrescebat, simul etiam augeri Numinum ipsorum & nova, & grata habitacula arbitrabantur. Quare haec cultus ratio, quae pro gratiarum actione ut plurimum persolvebatur, peragi haud poterat dedicatione Statuae, quae ipsum dedicantem, vel voti compotem factum exhiberet; cum potius sanatae solum aliquae corporis partes figulina arte confictae Templis Deorum appendi consueverint, ut sunt donaria illa, quae hoc ineunte Saeculo Nemi ad Templum

Dianae in fundo Frangipanorum effoſſa ſunt, quae ex Praeneſtinis, ubi olim Fortunae Templum erat, innotuerunt, quaeque, ut cetera mittam, quadraginta, & amplius ab heinc annis in Luco Sacro Piſaurenſium inventa ſunt, inter quae hominum nulla, ſed Deorum dumtaxat, & praeſertim pueri Teleſphori cucullati Signa aliquot parva prodierunt. Nec minoris ſane nobis erat difficultatis, quod Priſcilla iam moritura apud Statium *Silvar.* Lib. V. Eleg. I. v. 189. Abaſcantio Viro ſuo ſuaderet, ut pro ſe in Aedibus Iovis Capitolini aureum Signum non quidem ſe ipſam, ſed exprimens potius Domitianum Aug., magnum illud aſſentatorum Numen ex voto dedicaret, dum ait:

Da Capitolinis aeternum ſedibus aurum,
Quo niteat ſacri centeno pondere vultus
Caeſaris, & propriae ſignet cultricis amorem.

Aſt nihilomninus fieri etiam poſſet, ut & ipſius dedicantis Statua identidem ex voto poſita olim fuerit; quandoquidem ex Pauſania in *Phocicis* Lib. X. pag. 620. diſcimus, in Templo Apollinis Delphici inter ipſius donaria abſtuliſſe Neronem ϖεντακοσίας θεῶντε ἀναμίξ .... καὶ ἀνθρώπων εἰκόνας χαλκᾶς, *quingentas nempe Deorum promiſcue, & hominum imagines aeneas*. His nunc etiam accedit elegans illud Etruſci Pueri Simulacrum ex aere, in Agro Tarquinienſi effoſſum, quod a Praeſule ampliſſimo Franc. Carrario altero in Curia Innocentiana Iudice dono datum CLEMENTI XIV. P. O. M. ceſſit Muſeo Vaticano, quodque nuper aenea Tabula expreſſum, & a Viro Cl. Joh. Bapt. Paſſerio praeclara edita Diſſertatione illuſtratum, votum pro ipſius ſalute Diis perſolutum erudite contendit, dum & eiuſdem pueri iconem Simulacrum ipſum praeſeferre non inveroſimiliter exiſtimat. Duo alia inſuper huiuſmodi Puerorum Simulacra, quorum unum ſedens, alterum ſtat pedibus erectum, habentur in Muſeo Gratiano Peruſiae, & in Muſeo Coratiano Cortonae. An vero qui mos in Graecia, & in Etruria obtinebat, inter Romanos etiam invaluerit, ut idcirco Signum noſtrum pro anathemate accipi poſſit, cum noſtrum praeſertim non aeneum, nec parvum, ut illa, quae diximus, ſed marmoreum ſit, & procerum, non ego facile ſtatuerim. Neque etiam diſſimulabimus, aliis inſuper viſum eſſe, Signo hoc praeſeferri Matronam Romanam ſub Pudicitiae, vel Pietatis ſymbolo, prope quam adſtet Filius, aut etiam Servus puer libertate donatus, quod ſane ex pileo, quem capite gerit, conîici facile poſſit; quandoquidem pileus praecipuum Signum ſit libertatis, ut ex nummis pluribus, qui hac inſcriptione *Libertatis*, vel *Libertatis publicae* notati ſunt, apparet, in quibus nimirum dextra pileum, ſiniſtra haſtam, in aliis cornucopiae, aut corollam tenens Libertas ipſa conſpicitur, quales ſunt nummi Claudii, Galbae, Vitellii, Nervae, Hadriani, Antonini, Pii, Gordiani, & aliorum. Atque hinc etiam manat, quod nummus Bruti perrarus cum pileo inter duos pugiones ſit excuſus, quo nempe patria in libertatem vindicata ſignificatur, ut etiam aperte affirmat Dio Lib. XLVII. Hinc & proverbium ad pileum vocare, ſcilicet ad libertatem, quod de ſervis praedicatur. Ad hoc item pertinet Perſii verſ. 82. Sat. V: *Haec mera libertas, hanc nobis pilea donant*. Vide quinetiam Georgium Wolffgangum Wedelium in *Propemptico inaugurali de Nummis pileatis* pag. 5., alioſque paſſim, quos mittimus. Tandem nec illud intactum relinquemus, quod & aliis viſum eſt, in hoc nempe Signo noſtro Matrem, & Filium iam vita functos exhiberi, aut potius Filium dumtaxat, quem proinde nec flabellum, quod Somnum, utpote Mortis fratrem, vel potius imaginem, ut vocat Cicero in Lib. I. *Tuſculanar. Quaeſt.*, inducere videatur, nec folia illa arborum, quae ſupra diximus, tamquam mortuorum donaria, & divinitatis cuiuſdam ſymbola dedeceant. Cui vero ex hiſce opinionibus, quas omnes in tanta rei ambiguitate in medium nunc proferre optimum duximus, magis tribuendum ſit, videat, qui vel nobis doctior, vel qui animoſior eſſe poſſit; ac ſi ſingulae diſplicent, meliores, quibus & nos erudiamur, candidus impertiat.

TAB.

TAB. CIII.

FEMINA PALLIATA.

VENUTIUS

Itram, seu Mitellam nostrum gerit marmoreum Signum, cui si nomen aliquod tribuendum esset, Sabinam fortasse Antiquarii dicerent. Mitra Matronarum caput ornabat, ut ait Varro. Ea primum usas opinor Virgines Lidias, deinde vero Moeonias. Virgilius de Paride (1):

Moeonia mentum mitra, crinemque madentem.
Subnixus.

Postea autem ad Aegyptias, Phrygias, Syriasque pervenit, inde ad Etruscas, & Latinas. Ea videtur fuisse aliquando floribus, aut etiam lapillis contexta, ac filo circumligata, ut ad occiput, vel sub mento adstringeretur; unde nomen quidam accepisse putant ἀπὸ τοῦ μίτου, hoc est a filo, sed inanes plerumque sunt huiusmodi etymologiae. Decidebant vero ex eadem fasciolae quaedam, quae φύλλα dicebantur, quod foliorum instar penderent. Has Virgilius videtur significare, cum ait (2):

Et tunicae manicas, & habent redimicula mitrae.

Tunica, quae in hac Statua interior est, ad imos usque pedes demissa a Graecis ποδήρης dicitur, a Latinis talaris; eadem fortasse est, ac recta, ut vocat Plinius (3), quam simul cum toga pura accipiebant Tirones, & novae Nuptae. Ast id controversum admodum est, & incertum.

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Nos, qui prototypum ipsum expendimus, nullum in eo Sabinae Hadriani uxoris speciem deprehendimus; quin potius lineamenta quaedam, licet non omnino exstantia, Messalinae quintae Claudii Coniugis apparere visa sunt. Ast vero caput superadditum cernitur, quod an antiquitus huic Signo superimpositum fuerit, non ego is sum, qui vadimonium facere audeam. Fuit vero, qui Sapphus imaginem in hoc Signo haberi contenderet, quod iconi alteri, quae Romae in Aedibus Capitolinis est, quaeque eidem tribuitur, assimilari censeret. Sed nimis incertum hoc erat, ne Signum hoc tam facile praestantis Poetriae nomine insigniri posse arbitraremur; quamquam & illud obstare videtur, quod Signum hoc nostrum nimis procerum sit, ne Feminae pumilioni, qualis erat Sappho, convenire possit. Sic enim de ea Ovidius *Heroid. Epist.* XV. v. 33:

Sum brevis, at nomen, quod terras impleat omnes,
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.

De ea haud iuvat nunc nos verba facere, cum

(1) *Lib. IV. Aeneid. v.* 216. (2) *Lib. IX. v.* 616. (3) *Hist. nat. Lib. VIII.*

cum praefertim de ea fufius egerint Cl. Academici Herculanenfes in Tom. I. Aeneorum Monumentorum adnot. 3. ad Tabulam XXXVII. pag. 32., ubi aeneam Protomen, in qua ipfam agnofcunt, illuftrarunt. Aft praeter ea, quae ipfi recenfent, addemus, haberi Romae in Suburbano Albanio Hermam Sapphus nomine recenti fcalpro infcriptam, ut & aliam, quam innuimus, in Aedibus Capitolinis. Tum Nicolaus Franc. Haymius *Thefaur. Britannic.*, interprete Comite Aloyfio Chriftianio Mediolanenfe, edit. Vindobonen. ex officina Kraufiana anni CIↃIↃCCLXIII. Tom. I. Tab. XIII. n. 2. pag. 145. inter Virorum illuftrium Numifmata unum adfert, in cuius antica parte cernitur caput muliebre fingulari ornatu, quod ipfe Sapphus nomine infcribit; in poftica vero cernitur Miles ftans cum hafta, & fcuto; in area tandem littera E, quam primum elementum cenfet Erefiae Urbis, in qua, ut & Mitylene nata dicebatur, quaeque idcirco in huius Feminae, & Civis clariffimae memoriam nummum etiam cudendum curaverit.



CLASSIS

CLASSIS XI.

QUAE CONTINET

STATUAS IACENTES.

TAB. CIV.

FIG. I.

SILENUS.

VENUTIUS

Silenus hilari vultu, capite hedera coronato, iacensque cernitur, palliolo indutus, laeva uvae racemum exprimens in vasculum. Silenum iacentem perbelle descripsit Virgilius inquiens (1):

Pergite, Pierides. Chromis, & Mnasylus in antro
Silenum Pueri somno videre iacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.

Coronatum exhibere Silenum veteres solebant, ut idem Virgilius testatur (2):

Serta procul tantum capiti delapsa iacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

Haec autem serta e racemis uvae erant, aut ex hedera. Vas illud ansatum in hac Statua, supra quod racemus exprimitur, facile cantharus est, qui erat Bacchi, eiusque cohortis poculum. Eo Marius post Cimbricam victoriam ad Liberi Patris imitationem in mensa utebatur, ut refert Plinius (3). In elegantissimo marmoreo Cantharo Vulsinii adservato in Bacchica pompa Silenus insculptus est a Pueris, & Nympha sertis vinctus (4), velut ebrius. Hinc in Eleorum Templo in Graecia prope Sileni Statuam erat altera Ebrietatis, quae vini cyathum ei porrigebat (5).

(1) *Eglog. VI. v.* 13.
(2) *Id. ibid.*
(3) *Lib. XXIII. c.* 11., *Macrob. Saturn. Lib. V. cap.* 20.
(4) *Leonard. Adami Istor. di Bolsena To. II. Lib. IV. pag.* 215.
(5) *Pausan. in Eliacis Lib. I.*

TAB.

TAB. EADEM.

FIG. II.

FLUMEN.

VENUTIUS

Luvius iacens cernitur ima tantum corporis parte velata pallio, barba prolixa, capite frondea corona redimito, dextera gubernaculi capulum tenet, in finiftra an vafculinae pars fit, an aliud quidpiam, non fatis apparet. Antiquiffimus apud Idololatras fluviorum cultus fuit, quod ii tamquam omnium divitiarum datores haberentur, ut conftat ex veterum Theologia (1), quae praecipue circa Fluvios verfabatur. Populi eorumdem accolae, ut quantum ipfis deberent, oftenderent, & innuerent praeterea locum, quem incolebant (2), nummos fuos Fluminum imaginibus fignare confueverant. Hae urbium fimulacris aliquando adiacentes cernuntur, ac ipfae etiam Urbes, Dearum inftar, capite turrito in iifdem exhibentur. Exftant plures huiufmodi nummi apud Antiquarios. Quamquam vero Aelianus referat (3), nonnulla Flumina a quibufdam populis exfculpta Taurorum effigie, tamen alia memorat humano vultu effica. Fluviorum imaginibus gubernaculum frequenter apponebatur, praecipue fi navigabiles effent. Ex arboribus etiam, vel herbis eorumdem propriis, aut corona Fluvio, aut geftamen fiebat. Statius Ifmenum fluvium defcribens (4):

ceciditque foluta
Pinus adulta manu, demiffaque volvitur unda.

In hoc noftro Signo, nifi quidpiam huiufmodi eft, quod finiftra tenet, urna deficit, quae fere femper Fluviorum erat fuftentaculum, feu pulvinar. Virgilius de Inacho loquens (5):

Caelataque amnem fundens Pater Inachus urna.

Et Statius (6):

In laevam prona nixus fedet Inachus urna.

Cum nullum peculiare fymbolum adfit in hoc noftro Signo, divinari non poteft, quem potiffimum Fluvium in eodem expreffum artifex voluerit.

(1) *Max. Tyrius Serm.* 38.
(2) *Apud. Morell. Spec. pag.* 77.
(3) *Variar. Hift. Lib. II. cap.* 3.
(4) *Theb. Lib. IX. v.* 410.
(5) *Aeneid. Lib. VII. v.* 792.
(6) *Theb. Lib. II. v.* 218.

TAB.

TAB. CV.

FIG. I., ET II.

AMORES QUIESCENTES.

VENUTIUS



Mor, ut recte coniicit Isidorus [1], ideo alatus pingitur; quia nihil amantibus levius, nihil mutabilius invenitur. Puer pingitur; quia stultus, & irrationabilis Amor. Bupali hic, & Athenidis pater fuit; sicut legimus in Aristophanis Scholiaste, qui alas addit Amori [2]. Magnum Cicero, quemadmodum Lactantius refert [3], audaxque consilium suscepisse Graeciam dixit; quod Cupidinis, & Amorum Simulacra in Gymnasio consecrasset: adulatus est Attico, cui haec scribit, & blande irrisit, meo quidem iudicio, hominem familiarem; non enim illud magnum, aut omnino consilium dicendum fuit, sed impudicorum hominum perdita, & deplorata nequitia, qui liberos suos, quos erudire ad honesta debuissent, his imaginibus ad turpitudinem paullatim allicerent. Huic incommodo Romani, ut obviam irent, Cupidinem in Gymnasiis medium inter Mercurium, & Herculem collocabant [4], vel horum honestabant insignibus, quasi id vellent innuere, Amorem cum virtute, ac ratione debere esse coniunctum. Athenaeus scribit [5] veteres Philosophos sensisse, Amorem esse Deum gravem, & ab omni turpitudine alienum; quod vel ex eo intelligi potest, quod praecipue eum cum Mercurio, & Hercule copularint, quorum ille eloquentiae, hic fortitudini praeesset, ex quarum virtutum societate amicitia, atque amor exsistat, necesse est. Nostra haec elegantia Signa Amorem dormientem, quem *Lethaeum* nuncupabant, ostendunt. Huius Statua in Veneris Erycinae Templo visebatur; is autem inversam facem tenebat, usque dum extingueretur. De hoc Ovidius meminit [6], atque refert, ad eius Templum omnes eos Amantes confluxisse, qui amatarum rerum memoriam deponere cupiebant.

(1) *Origen. Lib. VIII. cap. XI.*
(2) *Apud Schol. Aristoph. in Avibus impress. Basil.* 1597. *pag.* 391.
(3) *Lib.* 1. *Instit.*
(4) *Mercurial. de Art. Gymnast.*
(5) *De Dipnosoph.*
(6) *Lib.* 1. *Amor.*

TAB.

Tab. CVI.

FIG. I., II., ET III.

SOMNI, ET MORTIS GENII.

Venutius

Somnum Ethnici finxerunt Mortis fratrem, utriusque vero Matrem Noctem esse; quod per similitudinem, & quamdam rerum connexionem dormientes mortuis comparari possint, aeque in obscuro iacentibus utrisque [1]. De Orode a Maxentio occiso ait Virgilius [2]:

Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.

Somnum fratrem Mortis appellat magnus Homerus in Iliade [3], & utrosque gemellos nuncupat [4]. Pausanias Noctis imaginem, & filiorum eius, Mortis, & Somni describit [5], quae imago apud Eleos spectatur in Templo. Somnus erat alatus, ut ait Albius Tibullus [6]:

Postque venit tacitus furvis circumdatus alis
Somnus, & incerto somnia nigra pede.

Ex duobus Geniis in Anaglypho insculptis Fig. I., & II. alter, qui facem inversam, & coronam gerit, Mortem repraesentat; alter vero dormiens cum copiae cornu forsan papaveribus referto Somnum exprimit [7]. Papaver Somno dicatum erat, ut omnibus palam est [8]. Hos Pureos pulcherrimos pingebat antiquitas; eosque describit Pausanias in Cypseli monumento, ambos inversa face armatos, corollisque vel dissolutis, vel pendentibus [9] a placida quiete avocari recusantes; ex quo Mors *Somnus aeternalis* nuncupatur [10]. Mus, seu lacerta ad Pueri dormientis pedes Fig. III. cernitur. Lacerta Sauri Scalptoris fuit emblema [11]. Praxiteles Apollinem puberem scalpsit insidentem sagittae, per quam lacerta subrepit [12]. Mures vero & ipsi sacri erant Apollini, & Dianae, aliisque Diis, ex quo Apollo *Smintheus* appellabatur [13]. Quid si ad

(1) *Catull. Epigr. V.*
(2) *Aen. Lib. X. v.* 745.
(3) *Iliad. Lib. XIV.*
(4) *Iliad. Lib. XVI.*
(5) *In Eliac. Lib. V.*
(6) *Lib. II. Eleg. I.*
(7) *Vid. Bellor. Sepolcr. de' Nasoni &c.*
(8) *Vid. Dissert. VII. Dormient. Eq. Francisci Victorii pag. XI. edit. Roman.* 1741.
(9) *In Eliacis.*
(10) *Fabrett. Inscript. domest. Cap. III. pag.* 124., *& Cap. V. pag.* 381.
(11) *Vid. Iunium de Pictura veterum.*
(12) *Pausan. in Eliacis.*
(13) *Idem loc. cit.*

ſi ad inane, ac puerile quoddam oblectamenti genus animal fuit adpoſitum; ut in aliis conſimilibus imaginibus fieri ſolitum a puerorum parentibus, oſtendit Fabrettius (1)? Ludicra enim eiuſmodi in puerorum praeſertim monumentis apponi ſolebant (2).

I. C. AMADUTII ADNOTATIO

Cum ob duo, ac tria etiam Signa in una Tabula ab Operis imperite deſcripta, noſtrae methodo, qua ſingula per Claſſes diſpoſuimus, vis inferetur, facile in hoc conſilium venimus, ut ad peculiarem Claſſem Signa haec iacentia promiſcue reduceremus; quamquam & id abſonum nihilominus occurret, ut duo Anaglypha in poſtrema Tabula conſpicienda veniant, quibus nullus inter Signa locus eſſe debuerat. Sed quid faceres, cum novis ſumptibus parcendum, iiſque, quae iam parata erant, inſiſtendum eſſet? Huiuſmodi Somni, ſeu Mortis imagines plures quidem occurrunt inter veterum Monumenta. Habes nempe Signum Somni marmoreum, quod Romae in Aedibus Vincentii Victorii Canonici collocat Paullus Alex. Maffeius, ac in eius Statuarum Collectione refert Tabula CLI. pag. 144. Somnus quinetiam ex Marmore Romano ſub forma Pueri iacentis, cui ſub ſiniſtro brachio cernitur caput leonis, in ſiniſtra manu papavera, lacerta ad pedes, quique dexteram manum ſuper caput habet, & alis inſtructus eſt, exſtat apud Montfauconium *Antiq. Explic.* To. I. Tab. LXXIX. Lib. VI. Cap. I. n. II. pag. 215. Tum Signa duo antiqua Cupidinis leoni indormientis, quorum alter corollas manu ſiniſtra tenebat, vidit Iacobus Tollius in Caeſarea Pinacotheca Vindobonenſi, atque alterius ex his ectypum etiam dedit Tollius ipſe in Epiſtola Itineraria III. edit. Amſtelodami typis Franciſci Halmae anno CIƆIƆCC. pag. 72. Inſuper Somni figuram cernere eſt ſub ſpecie Pueri incubantis ſuper ſpolium leonis, & ſiniſtra manu papavera geſtantis, quae lacerta petere videtur, una cum litteris ad dexterum latus expreſſis ſic: O. V. A. R. N. M. apud Arnoldum Drakenborchium in Silii Italici *Punicorum* editione ab ipſo peracta Traiecti ad Rhenum anno CIƆIƆCCXVII. ad Lib. X. pag. 518. Praeterea in Raineriorum Villa laxe aedificata, & eleganter ornata, quae eſt in Agro Meldulenſi, in lugo nempe, quod Saltum dicunt, duo millia paſſum ſupra Petram Appii, inter cetera antiqua Cimelia multi pretii, quae ibidem adſervantur, exſtat Cupido Sarſina advectus, Lunenſi e marmore, dormiens, admodum venuſtus, papavera bina ſiniſtra manu geſtans, cui lacerta pedem dexterum mordet, ut fidem facit Vir Cl. Hieronymus Ferrius Longianenſis, & Faventinorum Rhetor in eius latina Epiſtola, quae legitur in Ephemeridibus Litterariis Florentinis anni CIƆIƆCCLXIX. n. 47. col. 745. Tandem Vir Cl. Marchio Scipio Maffeius in *Muſeo Veronenſi* pag. CXXXIX. n. 1., 2., 3., & 4. exhibet elegantia Anaglypha cum Pueris inverſas faces tenentibus; quorum qui ſignatur n. 3., in face inverſa coronam inſuper gerit. Haec ſane omnia apprime cum noſtrorum Monumentorum ſymbolis convenire, nemo non videt.

(1) *Fabrett. loc. cit.* (2) *Buonaroti Vetri Cemiterial.* pag. 189.

FINIS VOLUMINIS I.

ABSOLVTVM . EST . VOLVMEN . I. VETERVM . MONVMENTORVM
QVAE . SVNT . IN . AEDIBVS . ET . HORTIS . CAELIMONTANIS . MATTHAEIORVM
ROMAE . IN . TYPOGRAPHIO . ZEMPELIANO . APVD . MONTEM . IORDANVM
KAL. APRILIS . ANNI . A . CHRISTO . NATO . CIƆIƆCCLXXII
AC . III. PONTIFICATVS . SSMI . D. N. PAPAE

CLEMENTIS , XIV


QVI . MVLTIS . ANNIS . VIVAT . FLOREAT . IMPERET


Tom.I. Claſs.I. Tab.I.
IVPPITER




APOLLO Citharoedus




APOLLO
Citharoedus



IV.







V.
APOLLO PYTHIVS


VI.
APOLLO SAGITTARIVS


VII.
APOLLO




VIII.
APOLLO





IX.

APOLLO ET MARSYAS


X.
MARS


XI.
MERCVRIVS


XII
BACCHVS

XIII



Bacchus Asino insidens


XIV.
BACCHVS



XV.



Amor



AMOR quiescens cum Herculis symbolis.

XVII.



Amor Canens

XVIII.




VENVS

XIX



AMICITIA




XX.
MINERVA





CYBELES



XXII.



CYBELES



XXIII






XXIV
CYBELES




XXV.
CERES


XXVI.
CERES


XXVII.
CERES


XXVIII.
CERES

XXIX.



XXX.



CERES

M. Sorello Sculp.

XXXI.




CERES

XXXII.



To. I. Claſs. III. Tab. XXXIII.






XXXIV.





XXXV.



Ioan Caſsini ſculp.




XXXVI.
FAVNVS

XXXVII.



FAVNVS





XXXVIII.
FAVNVS

XXXIX



XL.



FAVNVS, ET SATYRVS


Fran.ᶜᵒ Mazzoni Sculp.


Tab. XXXXI.





XLII.




XLIII.
SILENVS



DIANA



XLV.



DIANA


XXXXVI.
Diana




XLVII.



FLORA



XXXXVIII.



Pomona




XLIX



POMONA


L
POMONA


NAIS


To. I. Class. IV. Tab. LII.
HERCVLES




LIII.
HERCULES




LIV.
HERCVLES




LV.
BELLEROPHON




LVI.
AESCVLAPIVS


LVII.
AESCVLAPIVS




HYGIA




HYGIA




LX.
AMAZON.



PUDICITIA


LXII.
PVDICITIA






FORTUNA



LXIV.



LXV.







CAMILLUS PUER

LXVII



Fil.os Morghen sc




LXVIII



LXIX.





LXX



BACCHANS

Alexius Guo: delin. Sculp




SACERDOS CERERIS SACRIFICANS

To. I. Claſs. VII. Tab. LXXII.






CONSVL

Tom. I. *Clas. VIII. Tab. LXXII.*



I. CAESAR


I.CAESAR



OCTAVIANUS AUGUSTUS


LXXVII.
OCTAVIANVS AVGVS TVS

LXXVIII.



LXXIX



LIVIA


CAIVS CALIGVLA




TIBERIVS CLAVDIVS



LXXXII.



CL. DOMITIVS NERO




LXXXIII.
CL. DOMITIVS NERO


LXXXIV.
FLAVIVS DOMITIANVS

LXXXV.



NERVA TRAIANVS VLPIVS

LXXXVI.



MARCIANA AVGVSTA




LXXXVII.
SABINA AVGVSTA




LXXXVIII
ANTINOVS


LXXXIX.
Antoninus Pius


XC
M. AVRELIVS

XCI.








L. AURELIUS COMMODUS


L. AVRELIVS COMMODVS.






M. Aur. Baſsianu Antoninus Caracalla


P. LICINIVS GALLIENVS




Fr.co Morghen f.

XCVII.



To.I.Claſs.X.Tab.XCVIII.



POETA





HISTRIO


C.
GLADIATOR





GLADIATOR



CII.




FEMINA VELATA CUM PUERO



CIII.






Silenus



Fluvius



AMORES QUIESCENTES

F. M. S.

Fig. I.




Fig. II.




Fig. III.



Somni et Mortis Genii

